15.

21

EXERCITATIO THEOLOGICA
ad
Johann. IX, 1.2.3.
De
CAUSA CALAMITATIS IN HOMINE A NATIVITATE CÆCO,

Quam,
SUB PRÆSIDIO
L. THOMÆ ITTIGII,
Theolog. P. P. & Archi-Diacon.
ad D. Nicolai,
DN. PATRONI AC PRÆCEPTORIS SUI ÆTATEM COLENDI,
GOTTFRIED ROSENTHAL,
Gothanus,
ad d. XXII. Dec. A. MDC XCVIII.
in
AUDITORIO PAULINO,
Horis consvetis
placida disquisitione ventilandam
proponit.

LIPSIÆ,
Literis CHRIST. GOEZII.

10

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DOMINO
FRIDERICO,

DUCI SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ ET MONTIUM, NEC NON ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, PRINCIPI COMITI HENNEBERGÆ, COMITI MARCÆ ET RAVENSBERGÆ, DOMINO RAVENSTEINII ET TONNÆ,

PRINCIPI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,



Exercitium hocce academicum gratum ad testificandum animum pro collatis clementissime beneficiis humillima devotione offert, seque porro suaque studia commendat

RESPONDENS.



I. N. J.

§. I.



Ria priora ex nono Evangelii Johannei capite commata, quibus Christi responsum ad quæstionem discipulorum de causa calamitatis in homine a nativitate cæco continetur, breviter expensuri, antequam rem ipsam aggrediamur, eum qui cæci oculos aperuit supplices veneramur, ut in nobis a nativitate spiritualiter cæcis ignorantiæ tenebras Spiritus sui gratia dispellat, & lumine hoc cælitus demisso mentium nostrarum oculos ad cognoscenda sapientiæ, bonitatis & potentiæ suæ opera serenet.

§. II.

Verba S. Evangelistæ meditationi nostræ destinata ita se habent:

JOH. IX.

1. Καὶ παράγων, εἶδεν ἄνθρωπον τυφλὸν ἐκ γενετῆς.
2. Καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, λέγοντες·
Ραββὶ, τίς ἥμαρτεν, οὗτος, ἢ οἱ γονεῖς αὐτοῦ· ἵνα
τυφλὸς γεννηθῇ;
3. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, οὔτε οὗτος ἥμαρτεν, οὔτε οἱ
γονεῖς αὐτοῦ· ἀλλ' ἵνα φανερωθῇ τὰ ἔργα τοῦ
Θεοῦ ἐν αὐτῷ.

quæ Sebastianus Schmidius ita transtulit:

1. *At præteriens vidit hominem cæcum a nativitate.*

2. *Tum interrogarunt ipsum discipuli ipsius, dicentes: Rabbi, quis peccavit? hicne, an parentes illius, ut cæcus natus fuerit?*

3 *Respondit JESUS: neque hic peccavit, neque parentes illius; sed ut manifesta fierent opera DEI in illo.*

§. III.

Duo hic imprimis consideranda nobis occurrunt, nempe quæstio Discipulorum, & Magistri responsum. Quæstionis, ut inde ordiamur, duplex occasio recensetur, una remotior, altera propinquior. Remotiorem indicat Johannes his verbis: καὶ παράγων. In quibus particula copulativa καὶ initium noni capitis cum fine præcedentis octavi indivulso nexu conjungere videtur. Octavum enim caput his vocibus clauditur: καὶ παρῆγεν οὕτως, *& præteriit ita.* Quis autem non videat hanc octavi capitis clausulam cum principio noni capitis arctissime cohærere, quippe quod tale est: καὶ παράγων, *& præteriens?* unde haud improbabiliter colligitur, quod hic Christi transitus, qui Discipulis de homine cæco quærendi occasionem dedit, prope templum & illo ipso tempore factus fuerit, quo Christus, ut Judæorum lapides evaderet, per medios hostes templo invisibiliter egressus fuerat.

§. IV.

Objici quidem posset, quod Christo cum templo egrederetur, Discipulos affuisse non legamus, quos tamen comites habuit, cum viam illam, in qua homo a nativitate cæcus sedit, prætergressus est, quo argumento Cornelium Jansenium Gandavensem Episcopum in commentario ad concordiam evangelicam *a*) usum deprehendimus. Verum Maldonatus *b*) respondet, fieri potuisse, ut, cum Christus visibiliter templo exiisset, Discipuli quoq; Magistrum suum oculis ereptum quæsituri templo egressi fuerint, statimque invento quem quæsiverant denuo se adjunxerint. Quocirca magis se nobis approbat alterius Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi sententia, qui in tetrateucho suo *c*) Christum templo egressum paulo

post

poſt eadem die cæcum ſanaſſe judicat, ut divinitatem ſuam à Judæis impugnatam hoc miraculo demonſtraret.

a) c. 278. b) comment. in 4. Evang. p. 745. c) p. 491.

§ V.

Objiciunt alii, probabile non videri, quod Chriſtus, cum Judæorum rabiem vix effugiſſet, illo ipſo tempore ad miraculum in cæco patrandum ſe accingere, & hoſtium animis adhuc magis exacerbandis anſam dare voluerit. At Aſterius Amaſenus in homilia de homine a nativitate cæco, quam Franc. Combefiſius in novo auctario bibliothecæ Patrum græco-latinæ d) ex Sirmondi autographo per Seguierianum codicem correcto luce publica donavit, non dubitat, quin Chriſtus, cum ſpiritualem hoſtium ſuorum cæcitatem verbis ſanare non potuiſſet, eandem per editum in cæco miraculum curare tentaverit, ſapientem medicum imitatus, qui morbo ad primum experimentum non cedente aliud remediũ expugnando morbo aptum adhibere ſolet. Alias rationes, cur Chriſtus, pro injuriis hoſtium beneficia rependere ſolitus, ſtatim poſt egreſſum ſuum é templo cæci ſanationem aggreſſus fuerit, Chryſoſtomus e) adducit, quibus recenſendis jam immorari nolumus.

d) T. I. p. 106. e) homil. 55. in Joh.

§ VI.

Sed quid Wolzogenio reſpondebimus, qui, etſi utramque illam, quam brevi ſolutione addita attulimus objectionem, infirmam eſſe fateatur, nec diſſimulet, ſi quis finem octavi capitis in evangelio Johannis cum initio noni conferat, duo illa capita velut uncinulis vel anſulis quibusdam ita inter ſe confibulata deprehendi, ut Chriſti cum Judæis diſputationem in octavo capite deſcriptam illico curatio hominis a natiuitate cæci, de qua in nono capite agitur, excepiſſe videatur: irrefragabiliter tamen evinci poſſe putat; quod inter præteritionem Chriſti, quæ in fine octavi capitis commemoratur, & inter illam, quæ in limine noni capitis recenſetur, ſaltem integri ſeptidui ſpatium interceſſerit? f) Ut ita ſentiret, hac ratione ſe adductum ſcribit, quod curatio cæci die ſabbathi facta fuerit, ut ex verſ. 14. patet, Chriſti autem cum Judæis diſputatio poſtridie poſt ultimum diem feſti tabernaculorum contigerit, ut ex cap. VII, 37. & VIII, 2. inter ſe collatis demonſtrari poteſt. Breviter ad hæc dicimus, etſi omnino cæcum hunc, de quo agimus, die Sabbathi, quo alias Judæis ſputum ſuper oculos ponere nefas eſſe ex eorum ſcriptis Buxtorfius in lexico talmud. (p. 2232.)

 obſer-

obſervavit, a Chriſto ſputum pulvere permixtum ſuper ejus oculos ponente ſanatum fuiſſe conſtet, neque negari poſſit, illam Chriſti diſputationem cum Judæis, quæ Johannis octavo capite legitur, die ultimum feſti tabernaculorum proxime ſecuto inſtitutam fuiſſe, nondum tamen Wolzogenium argumentum ſuum pro irrefragabili venditare poſſe, niſi ſimul probaverit, diem ultimum σκηνοπηγίας, quem Johannes maxime ſolennem fuiſſe indicat, illo anno, quo hæc acta ſunt, in ſabbathi diem incidiſſe. Quod cum non probaverit, neque probari poſſit, opus haud erit, ut diſceptationem Chriſti cum Judæis poſtridie ſabbathi contigiſſe, & ab ea usque ad ſanationem cæci, ſi proximo ſabbatho ea facta eſt, ſaltem integrum ſeptiduum interceſſiſſe ſtatuamus.

f) Comment. in Johann. p. 882.

§. VII.

Majorem ſcrupulum ſententiæ noſtræ injicit harmoniæ Chemnitianæ continuator Polycarp. Lyſerus, qui diſputationem Chriſti cum Judæis octavo Johannis capite deſcriptam a ſanatione cæci, quæ in ſequenti capite narratur, interjectis pluribus aliis hiſtoriæ evangelicæ partibus divellit. Interponit enim hiſtoriam Chriſti poſt 70. Diſcipulorum reditum intime gaudentis, Apoſtolos ſuos beatos prædicantis, Legisperitum informantis, & parabolam de Samaritano proponentis, ad Mariam & Martham divertentis, Diſcipulos orandi modum & formulam docentis, Dæmonium mutum ejicientis, apud Phariſæum quendam convivantis, de hypocriſi cavenda aliisque rebus prolixa concione diſſerentis, occaſione tragicorum quorundam caſuum auditores ſuos ad pœnitentiam exhortantis, mulierem diuturno morbo laborantem in ſabbatho ſanantis, & hoc factum adverſus Archiſynagogum defendentis, & denique verſus Hieroſolyma proficiſcentis. Et in hoc ipſo itinere verſus Hieroſolymam ad celebranda ibi encænia ſuſcepto cæcum in via ſedentem ſe Chriſti oculis objeciſſe Lyſerus g) arbitratur, ſtatuens, Chriſtum non recta urbem ingreſſum, ſed ad portas delatum eam quaſi circuiviſſe, quem circuitum voce παράγειν denotari cenſet. Veruntamen iſte ſcrupulus haud difficulter eximi poterit, ſi omnia iſta hiſtoriæ evangelicæ capita, quæ Lyſerus inter octavum & nonum Johannis caput interponit, ſanationi hominis a nativitate cæci poſtponamus, quem ordinem Johannes Richardſonus Ardachadenſis Epiſcopus in harmonia Evangeliſtarum, quæ Uſſerii annalibus h) ſubjecta eſt, haud incommode tenuit. Quin etiam omnes, qui ante Lyſerum harmoniam

moniam evangelicam concinnarûnt, ut ipfe in prolegomenis ad caput 104. fatetur, nonum Johannis caput cum octavo immediate connexuerunt, & quamvis rationes, quas pro fua opinione adducit, non plane contemnendæ videantur, tales tamen non funt, ut communem aliorum fententiam relinquere cogamur. Quamobrem cum nihil urgeat, ut poftrema octavi & prima noni capitis verba divellamus, utrobique unum eundemque tranfitum defcribi minime dubitamus. Quæ fententia etiam Wilhelmo Lyfero in difputationibus exegeticis ad Johannem *i*) placuit, nec non Erafmo Schmidio, qui ad finem octavi capitis hæc annotavit: *e templo egreffus præteriit domos quasdam urbis templo vicinas, dumque eas præteriit, vidit cæcum, de quo capite fequenti. Ita Dominus Jefus etiam in medio æftu perfecutionum non definit benefacere* k).

g) c. 113. p. 1215. *h*) p. 621. *i*) difp. ad c. 9. thef. 2. *k*) declarat. Nov. Teft. pag. 698.

§. VIII.

Utitur Evangelifta hunc tranfitum defcribens verbo παράγειν, quod hoc loco idem eft ac prætergredi, in qua fignificatione apud Evangeliftas paffim ufurpatur, ut de Simone Cyrenæo Jefum fub bajulato crucis onere fatifcentem prætereunte Marc. XV, 21. & plerumque de Jefu homines aut obvia loca prætergreffo Matth. IX, 9 27. XX, 30. & Marc. II, 14. Et hic ipfe quoque eft, quem Johannes in noftro loco ut παράγοντα inducit. Id enim & ex præcedentibus & ex confequentibus elucefcit. Quin etiam in quibusdam codicibus expreffum JESU nomen additur, & Evangeliftæ verba fic leguntur: καὶ παράγων Ἰησοῦς, ut ex variantibus lectionibus Oxonienfi novi Teftamenti editioni additis apparet. Hæc de remotiori quæftionis Difcipulorum occafione feu de Chrifti tranfitu dicta fufficiant.

§. IX.

Propinquior occafio, quæ Difcipulos ad quæftionem Magiftro fuo proponendam impulit, fuit afpectus hominis a nativitate cæci, quem Evangelifta his verbis exprimit: εἶδεν ἄνθρωπον τυφλὸν ἐκ γενετῆς, *vidit hominem a nativitate cæcum.* Nomen hujus hominis Evangelifta tacuit. At non tacuit Petrus de Natalibus Epifcopus Eqvilinus in catalogo Sanctorum *l*), cui fi fides adhibenda foret, dicendum effet, homini huic cæco nomen fuiffe Cedonio vel Sidonio. Sed pari temeritate Natalis aliiq; hujus furfuris Scriptores hunc cæcum Cedonii nomine baptizant, qua

Car-

Cardinalis Vicarius vel Epiſcopus Capellæ Pontificiæ præfectus Sanctis incognitis nomina indere ſolet, qui inde Sancti baptizati appellari ſolent, ut Euſebius Romanus, ſub quo nomine doctiſſimum Monachum Joh. Mabillonium latere accepimus, in epiſtola de cultu Sanctorum ignotorum ad Theophilum Gallum hoc anno 1698. Pariſiis edita teſtatur. Fueritne hic Cedonius ex numero 70. Chriſti Diſcipulorum, Equilinus Epiſcopus in ambiguo relinquit, illud tamen planum & certum eſſe tradit, quod Chriſti Diſcipulus fuerit, & poſt aſcenſionem Chriſti baptizatus Maximino ſpecialiter adhæſerit, & ſimul cum Maximino, nec non Lazaro ejusq; ſororibus naviculæ impoſitus & Judææ finibus expulſus fuerit. Cum autem poſt naviculæ illius ad Provinciæ littora appulſum Lazarus Maſſilienſium, & Maximinus Aquenſium Antiſtes ordinatus fuiſſet, Cedonius hic ex ejusdem Petri Natalis relatione in Maximini miniſterio tanquam ejus Coadjutor manſit, donec in pace obdormiret, & mortuus quoq; Maximini lateri eidem ſepulchro illatus adjungeretur.

l) lib. 5. c. 102.

§. X.

Apud Salmeronem *m*) Celidonius, forte ad χελιδῶνα ſeu hirundinem, quæ Tobiam excæcaſſe perhibetur, reſpectu habito; a Fratribus Sammarthanis in Gallia chriſtiana *n*) ex proprio Aquenſium hagiologio Sedonius appellatur. Verum iſta de Cedonio relatio ad volantes illas quisquilias pertinet, quas Petrum de Natalibus in ſuo catalogo collegiſſe Launojus in tractatu de Lazari & ſororum in Provinciam appulſu *o*) haud immerito judicat. Simul autem cum volantibus his quisquiliis difflandam judicamus Salmeronis conjecturam, qui hiſtoriam hujus cæci a reliquis Evangeliſtis ideo prætermiſſam ſuſpicatur, quod illorum ætate Celidonius adhuc viveret, & hoc Celidonii nomen ubivis cognitum in omnium ore verſaretur, Johannem vero, qui omnium ultimus ſcripſit ἀξιομνημόνευτον hoc Chriſti miraculum, cum jam Celidonio non amplius ſuperſtite paulatim ex hominum memoria deleri cœpiſſet, literis conſignare voluiſſe; quaſi vero reliqui Evangeliſtæ res ſuo tempore geſtas & ſua ætate pluribus notas negligere & ſilentio involvere voluiſſent, aut Johanni tantum res ex hominum memoria pæne deletas tradere propoſitum fuiſſet.

m) Tom. VI. tract. 39. p. 256. *n*) Tom. I. p. 2. *o*) p. 49.

§. XI.

Qualecunq; autem hominis hujus nomen fuerit, ſtatum ejus miſerri-

mum

mum fuiſſe nemo dubitabit, quisquis, quantam malorum congeriem cæcitas ſecum afferat, expendet. Sane Gregorius Nazianzenus illam *p*) τὸ βαρύτατον τῶν κακῶν ſeu omnium malorum graviſſimum & acerbiſſimum appellat, & Baſilius Seleucienſis *q*) cæcos mortuis æquiparat cum ait: ὀφθαλμῶν στέρησις ἀβίωτον βίον ἐργάζεται, i. e. *oculorum privatio vitam reddit minime vitalem*, quo loco & plura ad delineandam cæcitatis miſeriam adducit.

p) Orat. 16. p. 249. *q*) Orat. 36. p. 303.

§. XII.

Augebat hominis miſeriam, quod ἐκ γενετῆς a nativitate cæcus eſſet. Alii homines cum ex uteri tenebris eluctantur, jucunda lucis uſura perfruuntur, ac ſi aliquo caſu cæci fiant, ſaltem recordari poſſunt, qualis in hoc elegantiſſimo mundi opificio ſit rerum facies. At cæcus hic in perpetuis tenebris hactenus verſatus pulcherrimum ſolis lumen nunquam viderat. Cæcus ille ſexagenarius, qui duodevicennis in cæcitatis calamitatem inciderat, rogatus, quot annos natus eſſet, reſpondit, eſſe ſibi ætatis annos duodeviginti, & unam noctem, ſignificans ſe, ex quo diei & noctis viciſſitudinem oculorum uſu non amplius diſtinguere poterat, unam tantum ſed diuturnam & per aliquot annorum decadas continuatam noctem transegiſſe *r*). Noſter autem cæcus, ſi de annis ætatis ſuæ rogatus a quopiam fuiſſet, unam tantum noctem ſe vixiſſe, ab utero quippe cæcus, reſpondere potuiſſet. Digna autem fuit hæc circumſtantia, quam Evangeliſta annotaret, cum ad illuſtrandum Chriſti miraculum faciat. Nam, ut ipſe cæcus v. 32. profitetur, ἐκ τοῦ αἰῶνος οὐκ ἠκούσθη, ὅτι ἤνοιξέ τις ὀφθαλμοὺς τυφλοῦ γεγεννημένου *a ſeculo non auditum eſt, quod aliquis cæco, qui talis natus eſt, oculos aperuerit*. Et Ariſtoteles quoq; aſſerit *s*) nullum τυφλὸν γεγεννημένον ἀναβλέψαι. Et quamvis etiam hiſtoria eccleſiaſtica cæcos quosdam ſuppeditet, qui a nativitate cæci viſu donati ſunt, ſicut Odiliam ἐκ γενετῆς cæcam in baptismo viſum recepiſſe ex Hildulphi Epiſcopi Trevirenſis vita Browerus *t*) retulit, divina tamen virtute non humanis viribus illam reſtitutionem factam eſſe, ſi omnino facta eſt, extra dubitationis aleam poſitum videtur. Unde & Ambroſius in epiſtola ad Bellicium ejusmodi cæcorum curationem non artis ſed poteſtatis eſſe pronunciat *u*).

r) conf. Raynaud. in triade fortium David. T. IX. Oper. p. 259. *s*) vid. Caſaub. in bibl. crit. p. 1708. *t*) annal. Trevir. lib. 7. ad A. C. 768. p. 377. *u*) epiſt. 75. vel. juxta nov. edit. 80.

§. XIII

Non ſolum autem viſu, ſed etiam organo viſus hunc cæcum, quem Chriſtus aſpectu ſuo dignatus eſt, orbatum fuiſſe antiquus Johannis Metaphraſtes Nonnus aſſeruit. His enim verbis, quæ pæne horrorem legentibus incutiunt, cæcum hunc delineat:

> Ὅστις ἔην περίφοιτος ἀφωτίστοιο προσώπου
> Συμφερτὴν, ἀμέριστον ἔχων ἀχάρακτον ὀπωπήν
> Ἣν φύσις οὐκ ἐτύπωσε· λιποβλεφάροιο δὲ κύκλου
> Οἰδαλέον ξένον ὄμμα γενεθλιὰς εἶχεν ὀμίχλη,
> Καὶ βρέφος οὔποτε τοῖον ἀνόμματον ἥλικι κόσμῳ
> Ἡνίοχος βιότοιο φυτοσπόρος ἤγαγεν αἰών.

Talem igitur cæcum a Chriſto viſum Nonnus aſſerit, qui, ut Nanſius *x*) verba ejus interpretatur *erat circumvagus, habens confertum, indiviſum, non ſignatum faciei lucis expertis viſum, quem natura non expreſſerat: ſed natalitia caligo habebat tumidum peregrinum oculum circuli palpebra carentis, & parens ſeu prolificum ævum vitæ moderator nunquam adduxerat coætaneo mundo talem infantem oculis carentem*, ſeu ut Bollingerus Nonni mentem brevioribus verbis clarius expreſſit: *y*)

> - - - *cæca qui fronte gerebat*
> *Denſum, informe, ingens tuber, cui nulla figura,*
> *Cæcigenum talem non unquam ſecla tulerunt.*

x) p. 133. *y*) in Nonni paraph. carm. lat. redd. p. 46.

§. XIV.

Favent huic ſententiæ ex Patribus, quotquot Chriſtum ex ſputo & pulvere oculos hujus hominis formaſſe dicunt. Cyprianus enim in tractatu de bono patientiæ *z*) inſultantium ſputamina illum patienter excepiſſe ſcribit, qui ſputo ſuo cæci oculos paulo ante formaverat. Et Baſilius Seleucienſis, ἄλλος, inquit, ὀμμάτων ἐκ φύσεως ἔρημος καὶ μετὰ τὸ τῆς γαστρὸς δεσμοτήριον τὸν τοῦ πάθους οὐκ ἀπεδύετο ζόφον, καὶ νὺξ μακρὰ τῇ ζωῇ συνοδεύουσα, ἕως αὐτῷ φῶς ἀληθινὸν ὑπαπαντήσας Χριστὸς ἀπέδωκεν τὴν ἡμέραν τὰ τοῦ φωτὸς ὄργανα χαρισάμενος ἔξω τῆς γαστρὸς πλαστουργήσας, ἅπερ ἔνδον παρέλιπεν *a*) h. e. *alius oculis a natura captus poſt uteri carcerem caliginem, qua afficiebatur, non exuebat, & longa nox vitæ ejus comes erat, donec ipſi Chriſtus verum lumen occurrens diem redderet, lucis organis extra uterum fabricatis, quæ*

intra

intra uterum omiserat. Addit Basilius, cælestem hunc Medicum τέχνην θεατρίζοντα artem, qua pollebat oculos formandi, hac vice quasi in publico theatro hominum oculis exposuisse, ut, dum cæcum oculorum lumine donaret, simul per hoc miraculum spirituales tenebras, quibus Judæorum animi excæcati erant, dissiparet.

z) p. 213. edit. Angl. a) homil. de duobus cæcis p. 302.

§. XV.

Et jucunda quidem est meditatio, si formationem oculorum ex luto cum creatione primi hominis ex pulvere conferamus, & utrobique unum eundemque opificem agnoscamus, qua collatione Patres delectari ex Irenæi *b)* aliorumque monumentis constat. Neque impossibile fuisset Filio Dei, si cæcus hic juxta Nonnum ἀνόμματος fuisset, hunc naturæ defectum formatis in ejus facie oculis supplere, quemadmodum nonnulli existimant, quod Christus mancos ita sanaverit, ut pro detruncatis manibus alias ipsis omnipotenti sua virtute restituerit, cum Matthæi XV, 31. κυλλοὺς sanasse dicatur, κυλλοὶ autem apud eundem Evangelistam appellentur, quibus manus amputatæ sunt Matth. XVIII, 8. Veruntamen cæcum hunc oculis caruisse, ex Evangelistæ verbis probari non potest, ex quibus potius contrarium apparet, quoties Christus hominis hujus oculos aperuisse dicitur v. 10. 14. 17. 21. 26. 30. 32. nec non quando Christus lutum hujus hominis oculis imposuisse memoratur, quod dubio procul postea, cum Christi jussu in piscina Siloam faciem suam lavit, aqua iterum absterssum fuit v. 6. & 7. Unde patet, quod Patres illi, qui novos huic cæco oculos ex sputo pulveri immixto formatos tradiderunt, nonnihil cæcutiverint, & magna illa lumina deliquium hic aliquod passa fuerint, quod etiam a Bartholino in tract. de morbis biblicis *c)*, Beverovicio in epistola ad Schurmanniam *d)*, & Schurmannia in responso ad Beverovicium *e)* observatum est.

b) lib. 5. adv. hær. c. 15. c) sect. 20. p. 95. d) D.D. Vir. epist. & respons. p. 4. e) ibid. pag. 8.

§. XVI.

Nobis ergo narratio Evangelistæ sufficit referentis, quod Christus præteriens hominem a nativitate cæcum viderit. In quibusdam exemplaribus additur, quod Christus hunc hominem καθήμενον seu sedentem viderit, ut Conzenius ad hunc locum annotavit. Videtur autem hæc vox ex v. 8. transsumpta, ubi refertur, vicinos, & qui hominem hunc noverant,

quod cæcus antea fuiſſet, cum lucem ejus oculis donatam agnoſcerent, admirabundos invicem dixiſſe: οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ καθήμενος καὶ προσαιτῶν; *nonne hic eſt, qui ſedebat & mendicabat?* Sic ergo in cæco apparuit, nullam calamitatem ſolam eſſe, cum cæcus hic etiam cum paupertate conflictatus fuerit, & ſtipis colligendæ cauſa viam aliquam publicam obſederit.

§. XVII.

Quid vero Chriſtus? vidit cæcum, non ea ſcilicet ratione, qua quæ contemnimus & cura noſtra non dignamur obiter videmus; ſed ita ut paululum ſubſiſtens intentos in eum oculos figeret. Et alibi quidem cæcos, cum Chriſtum prætereuntem audirent, precibus ſuis eum imploraſſe legimus, ut miſericordiæ ſuæ oculos in miſeros flecteret *f*). At in hunc a nativitate cæcum Chriſtus ſponte & corporis & commiſerantis animi oculos conjecit, cum nec ipſe magnum hunc Prophetam prætereuntem videre poſſet, nec eum præterire ab aliis audiret. Nam quod Aretius *g*) cæcum hunc Domini auxilium invocaſſe ſcribit, cum Evangeliſta id tacuerit, non probamus. Forte tamen mendicantium more quosvis prætereuntes inclamantium a Jeſu & Diſcipulis munuſculum petiit, neſcius, cum in prætereuntium numero verſari, a quo munus quovis auro carius impetrare poſſet. Chriſtus vero converſis in cæcum oculis occaſionem quæſtioni Diſcipulorum de cauſa hujus calamitatis præbuit, eosque, ut Iſidorus Peluſiota in epiſtola ad quendam ſibi cognominem Diaconum *h*) ſcribit, ad interrogandum tantum non provocavit.

f) Matth. XX, 30. 31. Luc. XVIII, 36. ſeq. *g*) in Johann. pag. 231. *h*) lib. II. epiſt. 272.

§. XVIII.

Nam a Diſcipulis ſuis interrogatum Chriſtum fuiſſe Johannes clare dicit. Unde memoria lapſus eſt Ambroſius, cum in epiſtola ſuperius allegata ad Bellicium ſcripſit: *quam ſtolidi autem Judæi, qui interrogant: hic peccavit, an parentes ejus? debilitatem corporum referentes ad merita delictorum.* Quem Ambroſii errorem Romana editio corrigere voluit, dum verba S. Præſulis ita exprimit: *quam ſtolide autem Diſcipuli interrogant!* &c. Verum iſta lectio aliis Ambroſii editionibus & manuſcriptis codicibus adverſatur. Scilicet Ambroſius, cum quæſtionem hanc ſtolidam judicaret, eam a Judæis potius quam a Diſcipulis Domino propoſi-

positam præsumsit. Unde Dallæus in tractatu de usu Patrum *i*) varios Patrum lapsus referens etiam hunc Ambrosii errorem annotavit.

i) lib. 2. cap. 3. pag. 247.

§. XIX.

Ipsum interrogationis actum Johannes voce ἠρώτησαν describit. Quod verbum non minus ambiguum est quam latinum rogare, quod & de interrogantibus & de petentibus usurpari solet. Hoc tamen loco non petendi significationem obtinet, quæ Matth. XV, 23. Marc. VII, 26. Luc. IV, 38. Act. III, 3. 1. Thess. IV, 1. & in pluribus aliis N.T. locis, & vel apud solum Johannem ultra decies occurrit: sed interrogandi, quæ significatio & ipsa apud Johannem & cæteros sacros Scriptores haud raro reperitur. Si Chrysostomum audiamus, dicendum erit, Discipulos οὐκ ἐρωτῶντας ἀλλ᾽ ἀπορῦντας non interrogantes sed dubitantes verba sua protulisse, quale locutionis genus esse scribit, si quis puerum morbo affectum intuitus diceret, dubitans magis quam interrogans: quid puellus hic commisit? Verum cum Evangelista aperte dicat, quod Discipuli Christum interrogaverint, ipsi potius quam rhetoricanti Chrysostomo adhæremus, etsi illam interrogationem ἀπορούντων seu dubitantium fuisse haud inficiemur.

§. XX.

Is quem Discipuli interrogant, JESUS est. Nec quenquam in re perplexa melius consulere potuissent, quam qui κατ᾽ ἐξοχὴν Doctoris nomen merebatur. Eum vero titulo Rabbi compellabant, de qua voce apud Caninium *k*), Cartwrightum *l*), Drusium *m*), Buxtorfium *n*), Tarnovium *o*) & alios plura videri poterunt. Nobis nunc hoc tantum notare sufficit, quod hæc vox idem significet quod Διδάσκαλος seu Magister, ut ipse Johannes nomen hoc Johann. I, 38. interpretatur. Et quamvis etiam Johannem Baptistam a Discipulis ejus hoc titulo compellatum legamus Joh. III, 26. quem Pharisæos etiam affectasse Christus indicat Matth. XXIII, 7. peculiari tamen ratione Christo convenit, quem sæpius hoc nomine salutatũ Evangelistæ tradunt a Judæis Joh. VI, 25. a Nicodemo Joh. III, 2. a Nathanaele Joh. I, 40. a duobus Johannis auditoribus Joh. I, 38. ab Apostolis Joh IV, 31. Joh, XI, 8. a Petro Marc. IX, 5. XI, 21. nec non a Juda, qui tamen apostata jam factus eundem hostibus prodidit, quem oretenus Magistri elogio honoravit Marc. XIV, 45.

k) Disquis. ad loca N. T. c. 6. *l*) mellif. hebr. lib 5. c. 11. *m*) de vocib. Hebr. N. T. comm. prior. p. 138. & post. c. 20. p. 212. *n*) de abbreviat. p. 148. *o*) ad Johann. I, p. 172.

§. XXI.

§. XXI.

Superest in quæstione Discipulorum considerandum quæstionis argumentum his verbis comprehensum: *τίς ἥμαρτεν, οὗτος ἢ οἱ γονεῖς αὐτοῦ ἵνα τυφλὸς γεννηθῇ; quis peccavit, hiccine an parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Elucescit autem ex his Discipulorum verbis, cæcitatem hujus hominis adeo notoriam fuisse, ut nec discipulos latuerit, quod a nativitate oculis captus esset. Refert Gregorius Turonensis *p)*, hominem Arianum ab Episcopo suo Cirola quinquaginta aureis conductum cæcitatem simulasse, & in via publica Cirolam prætereuntem, ut manum oculis imponeret, & lucem illis redderet inclamasse, sed fraudem illam & Dei irrisionem male cessisse, cum homo ille, qui auro corruptus cæcitatem simulabat, simulac Cirolas, miraculum scilicet pro confirmanda Arianorum doctrina editurus, manus ejus oculis imponeret, cum magna Thaumaturgi sui Episcopi confusione visu vere orbatus fuerit, quem tamen paulo post, cum orthodoxam fidem professus fuisset, ope Eugenii Vindemialis & Longini recuperavit. Eadem vel similis saltem historia ab eodem Gregorio in libro de gloria Confessorum *q)* memoratur. Nec in Gentilium historiis cæcos hujusmodi supposititios deesse deprehendimus. Refert enim in Vespasiano suo Suetonius *r)*, quod quidam luminibus orbatus sedentem pro tribunali Imperatorem adierit, opemque valetudinis oraverit demonstratam a Serapide, quem sibi per quietem indicasse dixit, restitutum iri oculos, si Imperator inspuere dignaretur; nec eventum huic rei, cum eam hortantibus amicis Imperator tentasset, defuisse. At quamvis Tacitus *s)* hanc cæci hominis curationem Imperatoris sputo factam non fabulosam esse nobis persuadere velit, dum eam etiam post Imperatoris mortem ab iis, qui interfuerant, nullo mendacii pretio relatam scribit, proclivius tamen est credere, quod ex compacto omnia gesta fuerint, & adulatores Imperatoris hominem quendam venalis fidei, ut cæcitatem mentiretur, pretio corruperint, quam quod Imperator oris sui excrementis effecerit, ut homini vere cæco reluxerit dies. Sed talis simulatæ cæcitatis suspicio nullum hic in Discipulorum animis locum habuit, qui calamitatem hujus hominis satis noverant, etsi causam hujus calamitatis non æque nossent, eamque a Magistro suo cognoscere averent.

p) libr. 2. hist. c. 3. *q)* c. 13. T. XI. B. B. P. P. p. 874. *r)* c. 7. *s.)* lib. 4. hist. c. 81.

§. XXII.

Supponebant tamen tanquam certum & indubitatum singulare hoc malum

malum a singulari quodam peccato ortum ducere, incerti tantum, utrum ipsi cæco an ejus parentibus calamitatis hujus meritum tribuendum esset. Hinc igitur quæstio: *quis peccavit, ut hic cæcus nasceretur?* In quibus verbis ellipsin occurrere notat Glassius *t)*, cum sensus horum verborum sit: *quis peccavit tale ac tantum peccatum, propter quod cæcus ille natus est?* Qua ellipsi tamen opus non erit, si cum Erasmo Schmidio *u*) vocem ἁμαρτάνειν hoc loco idem significare dicamus, quod peccando mereri. Voculam autem ἵνα in hac Discipulorum quæstione non causam finalem sed ἔκβασιν seu eventum denotare idem Glassius alibi *x)* observavit. Neque tamen omnis causæ significatio hic excludi debet, cum Discipuli hanc cæcitatem non solum consequens, sed etiam effectum peccati tanquam causæ fuisse existimaverint.

t) lib. 4. Phil. S. tract. 2. obs. 3. *u*) declar. N. T. ad Matth. XVIII, 15. p. 261. *x*) libr. 3. tract. 7. c. 19.

§. XXIII.

Non solum autem in genere quærunt Discipuli, quis peccaverit, sed generalem hanc quæstionem in duo specialia membra dividunt, quorum prius est, num ipse cæcus hanc sibi calamitatem peccando accersiverit? Et vulgaris quidem erat apud Judæos opinio, quam etiam Apostoli imbiberant, neminem aliquod singulare malum aut damnum pati, quin illud ob singulare aliquod peccatum pateretur, quemadmodum Galilæi quos Pilatus trucidavit, nec non octodecim illi, quos subito & tristi casu ruina turris ad Siloam prostravit, ob enorme aliquod peccatum hanc calamitatem passi dicebantur Luc. XIII, 1. & seqq. Quin etiam peccatores dici solitos fuisse quos grave aliquod infortunium oppressit ex 1. Reg. I, 21. & 2. Reg. VII, 9. colligi posse Danieli Heinsio *y)* videtur, qui etiam in Aristarcho *z)* illud Maimonidis adducit: *vere dixerunt sapientes Magistri nostri: non est mors absque peccato, nec sunt castigationes absque delicto.* Putat quoque Discipulorum animis obversatum illud, quod 2. Sam. V, 8. legitur: ὅτι τυφλὸς καὶ χωλὸς οὐκ εἰσελεύσεται εἰς οἶκον Κυρίου. Verum id petitum longius videtur.

y) Exercit. S. in N. T. libr. 4. c. 7. *z*) part. 2. c. 9. p. 905.

§. XXIV.

Cum vero hic cæcus, de quo Discipuli quærebant, a nativitate sua hoc malo laboraverit, antequam quicquam vel boni vel mali sciens & volens agere posset, haud parum soliciti sunt interpretes, quomodo in animis Discipulorum hæc cogitatio suboriri potuerit, quod homo ab utero

cæcus

cæcus ſingulari aliquo peccato in hanc miſeriam ſe conjecerit. Et Sandius quidem hac Diſcipulorum quæſtione ad ſtatuminandum errorem ſuum de præexiſtentia animarum abutitur. Nam in tractatu ſuo de origine animæ *a*) inter argumenta ſuæ ſententiæ & hoc adducit, quod niſi Diſcipuli Chriſti ita ſenſiſſent, temere Magiſtrum ſuum de cæco interrogaſſent, utrum ipſe peccaſſet, an ejus parentes, ut cæcus natus eſſet. Nec primus fuit Sandius, qui Diſcipulorum verba ſic interpretatus eſt. Refert enim Hieronymus in epiſtola ad Demetriadem de virginitate ſervanda *b*), fuiſſe qui dicerent: *compellimur, ut dicamus, animas fuiſſe in cæleſtibus, & propter quædam antiqua peccata damnatas in corporibus humanis, &, ut ita loquamur, ſepultas, nosque in valle lacrymarum pœnas luere veterum peccatorum. Unde & Propheta dicit: priusquam humiliarer ego peccavi* *c*), *& : educ e carcere animam meam* *d*) *& : iſte peccavit, ut cæcus naſceretur an parentes ejus?* Addit Hieronymus, impiam hanc & ſceleratam doctrinam olim in Ægypto & Orientis partibus verſatam adhuc ſua ætate quaſi in foveis viperarum abſconditam hæreditario malo in paucis ſerpere ut ad plurimos perveniat. Ægypti autem mentionem dum facit, ad Origenem reſpicit, a quo animarum *προύπαρξιν* aſſertam fuiſſe loca in ejus ſcriptis plurima teſtantur. Ubi autem ex noſtro loco animarum præexiſtentiam probaverit, Hieronymus non indicat, vix tamen dubitamus, quin in ipſis ad Johannem commentariis id factum fuerit, in quibus ea hodie deſiderantur, quæ in cap. nonum commentatus eſt.

a) p. 105. *b*) epiſt. 8. c. 9. *c*) Pſ. CXIX, 67. *d*) Pſ. CXLII, 8.

§. XXV.

Miratur vero Huetius in ſuis Origenianis *e*) ſtuporem Origenis, qui, cum Diſcipulorum quæſtionem ad ſui delirii defenſionem uſurpaverit, ad Chriſti reſponſum haud attendit, ex quo haud difficulter intelligere potuiſſet, cæci hujus calamitatem aliunde quam ex peccatis, quæ vitam ejus præceſſerunt, derivandam eſſe. Id Sandius quoque ſibi dictum putet, qui Chriſtum Diſcipulorum ſuorum de præexiſtentia animarum ſententiam non improbaſſe, ſed approbaſſe perperam contendit. Certe ſi ſenſus quæſtionis Diſcipulorum hic fuiſſet: num hic peccavit, antequam ejus anima in corpus immitteretur? etiam reſponſum Chriſti cæcum hunc peccaſſe negantis ita explicandum eſſet: nequaquam cogitare debetis hominis hujus animam ante ſuam cum corpore unionem peccato aliquo commiſſo, ut cæcus naſceretur, meruiſſe.

e) libr. 2. c. 2. qu. 6. p. 95.

XXVI.

Probe id intellexit Cyrillus Alexandrinus, qui, etsi Discipulos in Græcorum, animas præexistere asserentium, errore versatos, vel saltem de eo, cum Christum quærerent, cogitasse putet, eundem tamen à Christo Discipulis respondente confutatum animadvertit, ut ex libro 6. commentariorum ejus in Johannem *(f)* græco-latinæ editionis patet. Cæterum Cyrillus sententiam de animarum præexistentia Græcorum errorem appellat, quia Plato & ante eum Pythagoras aliique Græcorum Philosophi hoc dogma Origeni propinarunt, ut Hieronymus *(g)* & ipse Origenes *(h)* testatur. Tantum vero abest, ut hunc Græcorum errorem Cyrillus Origenis exemplo sibi sequendum duxerit, ut potius suum sive Patruum sive Avunculum & quondam in Alexandrino Episcopatu antecessorem imitatus ab isto dogmate plane abhorruerit, & alibi *(i)* plurimis argumentis refutaverit, quæ ut bibliothecæ suæ sanctæ insereret Sixtus Senensis *(k)* non indigna censuit. Cyrillo Alexandrino ὁμόψηφος Isidorus Pelusiota Discipulos Christi de peccato cæci interrogasse scribit, quia Græci tradiderunt, ἐσφάλθαι τὰς ψυχὰς, καὶ διὰ τοῦτο εἰς σῶμα καταπεπέμφθαι κολασθησομένας *(l)*, *animas peccasse, & luendarum pœnarum causa in corpus demissas fuisse.* Quem tamen errorem Isidorus suum non fecit, sed Christi responso reprobatum animadvertit, & ipse quoque in epistola ad Eulogium *(m)* prolixius refutavit.

(f) c. 1. Tom. IV. Oper. p. 588. *(g)* epist. 82. *(h)* lib. 1. contr. Cels. p. 26. *(i)* lib. 1. comment. in Joh. c. 9. p. 72. sequ. *(k)* libr. 5. annot. 185. *(l)* libr. 2. ep. 272. *(m)* lib. 4. ep. 163.

§. XXVII.

Attamen de eo quoque dubitari possit, an animis Discipulorum Christi error ille Græcorum obversatus fuerit, cum Christum quærerent, an cæcus hic peccasset. Certe Theophylactus *(n)* negat, Christi Apostolis errorem Gentilium in mentem venisse, quod anima ante corpus in alio mundo versans peccet, ac deinde in corpus descendens peccati pœnam luat. Rationem, cur Apostolis hoc dogma incognitum fuisse censuerit, hanc addit: Ἁλιεῖς γὰρ ὄντες οὐδὲ ἤκουσαν ἂν τοιοῦτόν τι, ἐπεί τοι ταῦτα τῶν Φιλοσόφων τὰ δόγματα, h. e. *Piscatores enim cum essent, neque audiverant tale quippiam, quia hæc Philosophorum dogmata erant.* Et hanc Theophylacti rationem invalidam quidem agnoscent, quotquot προΰπαρξιν animarum etiam Judæis cognitam fuisse asserunt, quemadmodum

Cleri-

Clericus *(o)* diu ante Christi adventum a Judæis animarum præexistentiam creditam fuisse ex libro Sapientiæ VIII, 19. 20. probari posse statuit, qua ratione & Hugo Grotius locum illum explicavit. Veruntamen haud opus esse, ut autorem libri Sapientiæ his verbis ad animarum præexistentiam respexisse dicamus, Calovius in bibliis suis illustratis ad illum locum annotavit. Et quamvis Judæi a dogmate illo Gentilium haud prorsus alieni fuerint, unde traditio de animabus in Goph sive Guph, quo nomine animarum simul creatarum & successive corporibus illabentium repositorium appellatur, nata fuit, cujus in Talmude aliisque Rabbinorum scriptis mentionem fieri Pocockius *(p)* in appendice notarum miscellanea ad portam Mosis observat, probari tamen non potest, quod Judæi animas ante suam in corpora infusionem peccasse cum Gentilibus crediderint, cum loca, quæ Sandius aliique pro animarum præexistentia ex Judæis afferunt, peccata præexistentium animarum non involvant, ut Bebelius *(q)* recte observavit, sicut & Jacobus Thomasius in oratione opposita errori de præexistentia animarum *(r)* Cabalistas in eo sapuisse notat, quod non omnia perversi dogmatis capita ad se rapuerint, & neutiquam cum Gentilibus animas, antequam corpora ingrederentur, peccasse statuerint. Si autem probari non potest, Judæos statuisse, quod animæ simul a Deo creatæ, antequam corporibus infunderentur, peccatis se contaminaverint, dici etiam nequit, quod Discipuli cogitaverint, animam hujus cæci, antequam in corpus delaberetur, peccasse, & ob peccatum in corpus hoc notabili defectu miserabile detrusam fuisse. Unde Lightfootus *(ſ)*, cum loca quædam de Guph animarum produxisset, se non esse tam oculatum dicit, ut videre possit, quid ad quæstionem Discipulorum animarum ab initio mundi creatarum repositorium faciat, nisi vel animas peccatis contaminatas in corpora descendere crediderint, vel μετεμψυχῶσιν supposuerint.

(*n*) comm. in Joh. p. 692. (*o*) annot. ad N. T. p. 203. (*p*) p. 104. (*q*) tract. de præexist. anim. p. 57. (*r*) p. 43. (*ſ*) Hor. Talmud. in Joh. p. 638.

XXVIII.

Nonnulli ergo statuunt, Apostolos Christum interrogasse num anima hujus cæci, cum prius in alio corpore versaretur, peccaverit. Placet hoc Theodoro Bezæ *(t)*. Quærit enim, quomodo cæcus hic peccare potuerit, antequam nasceretur? Respondet autem: *imbuti erant Judæi dogmate*

mate μετεμψυχώσεως, quod dogma Kimhi ad Pſ. 104. credi ab iis tradit quos Sapientes Mecar appellat, & jam olim fortaſſe Pythagoras in Ægypto didicerat. Quinam fuerint Sapientes Mecar explicat Druſius *(u)* in ſuis obſervationibus, & his ipſis Druſianis obſervationibus Bezam debere, quæ ex Davide Camio ſeu Kimchio annotaverat, Druſius in Præteritis ſuis *(x)* ſcribit, ubi & ipſe hanc interpretationem tanquam probabilem aſſumit. *Diſcipuli, inquit, forte quærunt, an ipſe peccaverit, nempe cum anima ejus eſſet in corpore priore, ut propterea redierit in corpus aliud cæcum, Deo ſic puniente peccatum illud, quod in vita commiſerat.* Dicit tamen ſe hoc ponere non ſtatuere. Idem in altera parte annotationum *(y)*, de hac Diſcipulorum quæſtione iterum agens, Gentiles quosdam, qui dogma μετεμψυχώσεως foverunt, allegat, Pythagoram, Druidas, & Poëtam, cujus nomen ſibi ignotum eſſe dicit. Eſt autem Poëta ille, ut ex adductis verſibus patet, Ovidius, qui in Metamorphoſeon libris *(z)* Pythagoram de animarum transmigratione diſſerentem introducit. Ibidem Druſius conferri cupit, quæ ad Matth. XVI, 14. annotavit. Quo loco in priore annotationum parte *(a)* obſervat, eos, qui Chriſtum vel Johannem Baptiſtam, vel Eliam, vel Jeremiam, vel alium Prophetam eſſe cenſuerunt, forte credidiſſe, quod Johannis, vel Eliæ, vel Jeremiæ, vel alterius Prophetarum anima in ejus corpus redierit, quemadmodum Judæorum Phyſici ſeu Sapientes Mecar ejusmodi transmigrationem animarum ſtatuerunt. Addit ad eundem Matthæi locum in poſteriore annotationum parte *(b)*, cognata hæc eſſe cum iis, quæ nonnulli de revolutione animarum ſcribunt, fingentes, per tria corpora eas volutari, ſicut Adami animam Davidis quoque & Meſſiæ corpori communem faciunt, quod tribus literis nominis אדם ſignificari dicunt, ita ut prima litera ipſum Adamum, ſecunda Davidem, tertia Meſſiam denotet. Quam revolutionem גלגול נפשות ſeu revolutionem animarum appellari dicit ad differentiam alterius revolutionis, quæ cavernarum dicitur, quia corpora Judæorum extra terram Canaan defunctorum per cavernas & abditos terræ meatus in Palæſtinam uſque, ut ibi reſurgant, volutanda perhibentur.

(t) annot. ad N. T. p. 363. (u) libr. 4. c. 6. (x) lib. 4. p. 134. (y) p. 87. (z) libr. 15. (a) p. 36. (b) p. 31.

§. XXXI.

Johannes quoque Piſcator *(c)* verba Diſcipulorum ex hypotheſi μετεμψυχώσεως Chriſti temporibus inter Judæos uſitatæ explicanda arbitra

bitratur, nisi quis putet, eos opinatos esse, quod jam olim animæ humanæ in principio mundi omnes creatæ sint, ac interea vel bene vel male agant. Nec alia est Francisci Gomari *(d)* sententia, qui ex Matth. XIV, 2. & XVI, 14. manifestum esse putat, quod Christi temporibus Judæi animarum transmigrationem crediderint. Nec mirum esse dicit, quod Gentilium Philosophorum error illiteratis Apostolis obrepsit, cum sub Antiocho Judæa Philosophorum scholis corrupta fuerit, & ab eo tempore varii errores in legis Doctores & per hos in vulgus haud difficulter dimanare potuerint. Producit ad confirmandam suam sententiam ex Eliæ Levitæ dictionario traditionem superius memoratam de animarum per tria corpora revolutione, quæ Iobi XXXIII, 20. fundata creditur, item traditionem de anima Eliæ, quam Rabbini olim in Pinehaso fuisse dixerunt. Plures Autores, qui huic sententiæ favent, adducere nolumus, sed alteram etiam partem audiemus.

(c) anal. in Joh. p. 654. *(d)* Oper. Theol. p. 330.

§. XXX.

Haud enim desunt, qui negant, quod dogma *μετεμψυχώσεως* Christi temporibus apud Judæos receptum fuerit, & quamvis Josephus *(e)* Pharisæos docuisse tradat, quod animæ hominum *εἰς ἕτερον σῶμα* seu in aliud corpus transeant, Johannes tamen Camero *(f)* Josephum nihil aliud significare voluisse existimat, quam quod Pharisæi docuerint, animas piorum, cum dies resurrectionis venerit, *εἰς σῶμα ἕτερον* h. e. in corpus non substantia sed qualitatibus diversum rediturus esse. Loca quoque, quæ Gomarus ex Matth. XIV, 2. & Matth. XVI, 14. adducit, alii minime ita comparata esse arbitrantur, ut ex illis firmiter probari possit, quod Apostolorum ætate inter Judæos metempsychoseos doctrina viguerit. Priorem certe locum ipse Vossius *(g)*, qui alias Judæos illius ævi ab hoc gentilismo non alienos fuisse neutiquam dubitat, ad *μετεμψύχωσιν* haud spectare judicat; cum Herodes non putare potuerit, Johannis Baptistæ animam in corpus Jesu, quippe quem non infantem, sed adultæ ætatis virum nosset, se insinuasse; sed potius Johannem a morte resuscitatum suspicatus fuerit, nisi quis dicat, quod anima Johannis ita in Jesu corpus transierit, ut priorem ejus animam expulerit, & dominium in ejus corpore occupaverit. Eundem vero sensum etiam in posteriore loco, nec non in parallelis Marc. VI, 14. 15. & Luc. IX, 7. 8. obtinere Maldonatus in commentario ad Matthæum *(h)* & Toletus in commenta-

mentario ad primum Johannis caput (*i*) ſtatuunt, ubi tamen obſervant, quod apud Lucam Johannes Baptiſta & Prophetæ a mortuis reſurrexiſſe, Elias autem quippe non mortuus apparuiſſe dicatur.

(*e*) libr. 2. de bell. jud. c. 12. vel juxta verſ. lat. c. 7. (*f*) prælect. ad Matth. XIX, 3. p. 171. (*g*) de idolol. libr. 1. part. 2. c. 10. (*h*) p. 254. (*i*) p 118. 119.

§. XXXI.

Sed ponamus in locis illis ad μετεμψύχωσιν reſpici, etſi id nobis perſuaderi nondum potuerit, ponamus etiam Joſephum in allegato loco Phariſæis dogma illud tribuere, quod utique Joſephi verbis magis convenire haud diffitemur, necdum tamen evictum eſt, Diſcipulos cogitaſſe, quod anima cæci, priusquam in corpus hoc oculorum lumine privatum ingrederetur, in alio corpore peccaverit. Nam Phariſæi, Joſepho referente, tradiderunt, ψυχὰς μεταβαίνειν εἰς ἕτερον σῶμα, τὰς τῶν ἀγαθῶν μόνον· τὰς δὲ τῶν φαύλων ἀϊδίῳ τιμωρίᾳ κολάζεσθαι, *animas tranſire in aliud corpus bonorum tantum, malorum autem æterna pœna cruciari.* Si enim animæ piorum tantum in alia corpora migrant, probabile non eſt, in animis Diſcipulorum hanc ſuſpicionem obortam fuiſſe, quod hic cæcus peccatum in aliis corporibus patratum nunc luere cogeretur.

§. XXXII.

Excipiet forte aliquis, Phariſæos quidem tantum animabus piorum, reliquos autem Judæos etiam animabus impiorum tranſitum in alia corpora tribuiſſe, ſive humana, ſicut Labanis anima in Bileamum tranſiiſſe perhibetur, ſive brutorum, e. g. leporum, camelorum & aliorum pro diverſitate vitiorum, quibus ſe contaminarunt, & quibus vel has vel alias brutorum ſpecies imitati ſunt, qualem animarum transmigrationem Cabaliſtas tradidiſſe Elias ſupra allegatus retulit, quemadmodum eandem & Pythagoras docuit, qui propterea brutorum carnibus veſci vetuit, *veritus*, juxta Tertullianum (*k*), *ne bubulum comedens de proavo ſuo obſonaret.* Verum quicquid de diverſitate inter Phariſæos & Cabaliſtas circa hoc doctrinæ caput, quicquid etiam de metempſychoſeos judaicæ antiquitate ſtatuatur, certum tamen eſt, tale eſſe hoc dogma, ut illud Apoſtolis tribuere nimis grave & inhumanum videatur. Tanta enim abſurditate laborat, ut nonnulli etiam Pythagoram & alios Gentiles Philoſophos ab errore tam craſſo abſolvere conentur. Multo magis Apoſtolis ejusmodi errorem tribuere veremur, quo poſito graviſſimus de reſurrectione mortuorum articulus funditus evertitur. Temere contra reſurrectionem

mortuorum Sadducæi hac quæſtione ſcrupulum movebant: utrius conjugis futura eſſet uxor, quæ ſeptem fratribus nupſerat? quaſi in altera vita adhuc conjugio locus relinqueretur. At ex metempſychoſi longe gravior & difficilior quæſtio naſcitur: utrum corpus ingreſſura ſit anima, quæ ſaltem per tria corpora volutata fuit? Cui dubio ſolvendo multum quidem operæ Menaſſe Ben Iſrael (*l*) impendit, at quam infelix ejus conatus fuerit, Hoornbeeckius (*m*) oſtendit. Quamobrem ratio nobis deeſſe haud videtur, ſi metempſychoſeos errorem diſcipulis Chriſti tribuere Cameronis exemplo vereamur, quem Lactantius (*n*) tam ridiculum eſſe dicit, ut ne refelli quidem mereatur. Cum enim Pythagoræ ſententiam recenſuiſſet, ſtatuentis, migrare animas de corporibus vetuſtate ac morte confectis, & inſinuare ſe novis ac recens natis, ſtatim ſubjicit: *quæ ſenſententia deliri hominis, quoniam ridicula & mimo dignior quam ſchola fuit, ne refelli quidem ſerio debuit, quod qui facit, videtur vereri, ne quis id credat.* Nec deſunt inter Judæos, qui abſurditatem Pythagorici hujus dogmatis agnoſcunt. Benjamin enim Tudelenſis in itinerario (*o*) ſuo nationem quandam deſcribens, quam Dogzin appellari ſcribit, inter alia refert, quod putaverit animam, cum ex alicujus probi corpore migrat, occupare corpus cujusdam pueruli, qui eo momento, quo anima e corpore migrat, naſcitur, ſin ex improbo diſcedat, occupare canis aut jumenti corpus. Et hoc ipſo dogmate paganos illos ſtoliditatem ſuam abunde prodere Benjamin judicat.

(*k*) apolog. c. 40. (*l*) lib. 2. de reſurrect. mort. c. 18. (*m*) de convinc. Jud. libr. 8. c. 3. (*n*) lib. 7. inſtit. divin. c. 12. (*o*) p. 34.

§. XXXIII.

Cum vero Camero a nonnullis objici videret, verba Diſcipulorum intelligi non poſſe, niſi ea ad *μετεμψύχωσιν* reſpicere fateamur, varias rationes in medium adduxit, quibus Diſcipulorum quæſtionem explicari poſſe arbitratur. Primum enim Diſcipulos de peccato *τυφλοῦ ἐκ γενετῆς* quærentes peccatum originis ob oculos habere potuiſſe exiſtimat, quam explicationem etiam in myrothecio ſuo evangelico ad hunc Johannis locum repetit. Et minime quidem dubitamus, quin Apoſtoli in Chriſti ſchola fideliter informati meliorem hujus articuli notitiam habuerint quam Phariſæi, qui etſi ad cæcum hunc dicerent: *ἐν ἁμαρτίαις σὺ ἐγεννήθης ὅλος*: *in peccatis totus natus es* v. 34. ſemet ipſos tamen in peccatis natos ſpiritualiter cæci non videbant. Neque negari poteſt, peccatum originis genera-

neralem omnium calamitatum causam esse, quibus humanum genus premitur, & ex hoc fonte etiam in parvulos varia morborum genera derivari. Unde Augustinus *(p)* Pelagianis dicentibus *naturam humanam in exordiis nascentium innocentiæ dote locupletem* respondet: *fatemur sane, quantum ad peccata pertinet propria, cum autem etiam originali negatis obnoxios, respondete, quo merito tanta innocentia nonnunquam cæca, nonnunquam surda nascatur?* Veruntamen Discipuli Magistrum suum Jesum hic non interrogarunt de peccato, quod cæcus hic cum parentibus suis commune habuit. Distincte enim quærunt, num hic cæcus, an ejus parentes peccaverint? Si originale peccatum ob oculos habuissent, potius quærendum ipsis fuisset, cur non omnes homines cæci nascantur? Si quis autem putet hanc Discipulorum mentem fuisse, num hic cæcus ob solum originale peccatum hac calamitate afflictus fuerit, an etiam singulari cuidam parentum ejus peccato cæcitatis hujus causa adscribi debeat, opponi poterit, quod Christus cæcum hunc peccasse neget, quod dicturus minime fuisset, si quæstio Discipulorum ad originale cæci peccatum respexisset.

(p) libr. 3. contr. Julian. c. 4.

§. XXXIV.

Altera Cameronis explicatio in Dei præscientia fundatur. Ait enim Discipulos haud absurde cogitare potuisse, ut sunt omnia Deo præsentia, quod præviderit Deus multo ante, qualis cæcus hic futurus esset, ac proinde Deus cum hoc cæco egerit, quemadmodum cum impio Rege Jeroboamo, cui manus in Prophetam intentanti Deus gravem pœnam inflixit, ut atrocitatem designati sceleris & cohiberet & puniret, quæ Cameronis explicatio itidem in myrothecio ejus evangelico iteratur. Eandem sententiam Leontio tribuit Maldonatus *(q)* his verbis: *Leontius putat, non interrogare Discipulos de præterito, sed de futuro peccato, non enim ignorasse, antequam nasceretur peccare nequaquam potuisse, sed existimasse Deum futurorum præscium, cum prospiceret fore ut natus peccaret, effecisse, ut in futuri peccati pœnam cæcus nasceretur.* Sed quis ille Leontius, aut ubi ita senserit, neque Maldonatus, neque Cornelius a Lapide *(r)* hanc Leontii sententiam itidem referens, nec alii, quos vidimus, annotarunt, nisi quod Theophilus Raynaudus in hoplotheca contra ictum calumniæ *(s)* quem alii simpliciter Leontium nominant, Leontium Euthalium appellat. Alias novimus Leontium Byzantinum in tractatu de sectis *(t)* Origeni præexistentiam animarum ex hominibus, qui cæci nascuntur,

ſcuntur, probanti, reſpondere: *ταῦτα κρίματά εἰσι Κυρίου, καὶ δεῖ ἡμᾶς ταῦτα μὴ ζητεῖν, hæc Dei judicia ſunt, quæ inquirenda non ſunt.* Novimus etiam extare Leontii ſive Presbyteri Conſtantinopolitani, ſive Neapoleos Cypri Epiſcopi orationem in feſtum mediæ pentecoſtes & in cæcum a nativitate, quam Franciſcus Combefiſius latine in bibliotheca concionatoria *(u)* & græcè ac latine in novo auctario græco-latinæ Patrum bibliothecæ *(x)* edidit, & cujus loca quædam ex MSCto codice Vindobonenſi emendat & ſupplet Lambecius *(y)*. Sed in ea oratione de pœna cæco ob prævifum a Deo peccatum inflicta nihil legitur, cum ibi tantum Leontius contra Judæos diſputet, qui cæcum a Chriſto ſanatum *ὑποβολιμαῖον* & ſuppoſititium vocabant, iisque divinam virtutem Chriſti ex ejus miraculis demonſtret. Ubi vero illa Leontii a Maldonato allegata ſententia legatur, & quis ſit Leontius ille Euthalius a Raynaudo allegatus, ſitne idem cum Leontio, quem Turrianus in tract. contra Magdeburgenſes *(z)* Leontium Ætolium, & in notis ad conſtitutiones Apoſtolicas *(a)*, nec non in tractatu de euchariſtia *(b)* Leontium Eutholium appellat, an diverſus, aliis nunc inquirendum relinquimus, cum Leontium illum ſive Euthalium ſive Ætolium, ſive Eutholium nunquam videre nobis licuerit, & ne nomen quidem illius, nedum ætatem & ſcripta illi annotaverint, qui ex inſtituto de Scriptoribus eccleſiaſticis egerunt, & in his quoque celeberrimus Cave nec in priore, nec in altera hiſtoriæ ſuæ literariæ parte, quam diu ab erudito orbe deſideratam hoc anno 1698. Londini publicavit, ullam ejus mentionem fecerit. Unde ſoli Turriano hujus Scriptoris notitiam debemus, ex quo diſcimus, quod commentarium in quatuor evangelia græce ſcripſerit, & Theophylactus pleraque in ſuis commentariis ex eo hauſerit. Fides ſit penes Turrianum, quem alioquin ſemper præſto habuiſſe inauditos & cæteris præter ipſum mortalibus inviſos codices, quibus pro libidine uteretur, Dallæus *(c)* animadvertit, qui etiam alibi *(d)* de Turriano ſcribit, quod Euſebium Alexandrinum in ſermonibus, Magnetem ad verſus Theoſthenem, Theophanem in ſymphonia veteris & novi Teſtamenti, & alias hujusmodi Scriptorum in eccleſia hactenus inauditas larvas pro libidine effictas adverſariis ſuis tanquam totidem *μορμολυκεῖα* objecerit. Eadem de Turriano eſt Blondelli *(e)* opinio, dicentis, ſolenne ipſi eſſe manuſcriptos codices jactare, novasque lectiones comminiſci, quandocunque aqua hæret. Nolumus tamen dubitare, quin Turrianus aliquem Leontii in evangelia commentarium manuſcriptum

ſcriptum ad manum habuerit, cum etiam Maldonatum eo frequenter uſum deprehendamus. Sed hæc obiter. Quicquid autem ſit de Leontio, certum eſt, hanc ſententiam, quod cæcus ex ſententia Diſcipulorum ob præviſa a Deo peccata talis natus fuerit, alios quoque præter Cameronem patronos inveniſſe. Nec alienus fuit ab eo Dionyſius Carthuſianus. Poſtquam enim dixerat, Diſcipulos utpote ſimplices ſimpliciter quæſiviſſe, ſubjicit, quod Diſcipuli potuerint loqui vel de peccato conſequenti, vel de originario, quaſi dicerent: *natusne eſt cæcus propter præviſum a DEO peccatum, quod poſt nativitatem commiſit, an propter peccatum originarium* &c. *f*) Cæterum exemplum Jeroboami a Camerone adductum non eſt cæco noſtro parallelum, quia in Jeroboamo Deus conatum ſceleris punivit, & ne plenius erumperet impedivit, qualem conatum in hoc cæco, antequam naſceretur, fuiſſe, nemo dixerit.

q) pag. 747. *r*) pag. 391. *s*) Tom. XII. Oper. p. 668. *t*) act. 10. p. 552. *u*) fer. III. poſt Quadrag. Tom. III. p. 113. *x*) T. I. p. 719. *y*) T. IV. biblioth. Vindob. p. 71. *z*) p. 455. & 498. *a*) p. 219. *b*) pag. 87. & 117. *c*) de uſu Patr. pag. 26. *d*) de pſeudepigr. pag. 692. *e*) pſeudo-Iſidor. pag. 56. *f*) Barrad. T. III. concord. p. 80.

§. XXXV.

Et ipſe quoque Camero in duabus his explicationibus non acquieſcit. Cum enim verba Diſcipulorum vel de peccato originis, vel de præviſo aliquo peccato ſingulari exponi poſſe dixiſſet, ſubjungit: *ſed nihil opus eſt huc devenire, res eſt expedita & facilis. Res mira videbatur Diſcipulis, quempiam naſci cæcum, cum omne malum, quod docendi cauſa paſſivum appellamus, peccati pœna eſſe videatur, hoc autem malum non poſſit in hoc genere cenſeri. Nam ut infans, qui nondum ullo ſcelere peccata patris imitatus eſt, peccati pœnas a Patre admiſſi luat, videtur duriuſculum, tum etiam ut ſtatuatur, ullo peccato a ſe admiſſo, cum nondum peccarit, hoc malum accerſiviſſe, pariter abſurdum videtur.* Arbitratur ergo Camero, Diſcipulorum quæſtionem non ſic intelligendam eſſe, quaſi putaverint, vel ipſius cæci vel parentum culpa hoc malum ipſi accidiſſe, ſed quæſtionem potius inde natam eſſe, quod neutrum fieri poſſe exiſtimarent. Eadem eſt Euthymii Zigabeni *g*) interpretatio, qui verba Diſcipulorum hoc modo παραφράζει: *paralyticus quidem propter peccata ſua ægrotabat, ſicut ibi didicimus, de hoc autem quid dicis? quis peccavit, hic an parentes ejus? nos enim neque hoc neque illud dicere*

cere

cere possumus omnino conturbati consilioque destituti. Quam interpretationem ex Chrysostomo hausit. Cum enim ille absurdam Discipulorum quæstionem vocasset, quærit, quomodo ad eam devenire potuerint? Respondet autem eos memoria tenuisse, quod Magister eorum ad paralyticum dixerat: *ecce sanus factus es, noli amplius peccare* Joh. V, 14. sed quid de hoc cæco dicerent non invenisse, cum neque ipsum cæcum peccare ante nativitatem potuisse putaverint, neque pro patre filium puniri crediderint *h*).

g) Bibl. Patr. Lugd. Tom. XIX. p. 695. *h*) homil. 55. in Joh.

§. XXXVI.

Si Johannem Crellium audiamus, Discipuli de parentum culpa minus quam de ipsius cæci peccato dubitarunt. Simplicissimum ipsi videtur, si interrogationem istam ita accipiamus, quasi dixerint: *cum sciamus peccata esse causas hujusmodi calamitatum, vellemus scire, quis in hoc peccaverit, illene ipse, quod est minus verisimile, imo videtur nobis impossibile, an potius parentes illius, qui cum sint ipsi conjunctissimi, forte ille ipsorum scelera luit, & in illo ipsi puniuntur* i). Existimat ergo, Discipulos priorem suæ quæstionis partem dicis tantum causa protulisse, & statim transmisisse, ac in alteram propendisse.

i) Tom. III. Oper. pag. 94.

§. XXXVII.

Johannes Lightfootus cum in horis suis Talmudicis ad hunc locum sententiam de præexistentia animarum, & earundem in alia corpora transmigratione removisset, duas alias Judæorum hypotheses ex ipsorum scriptis adducit, ad quas Discipulos in sua interrogatione respectum habere potuisse arbitratur. Prior est traditio de diebus Messiæ, in quibus neque meritum neque demeritum futurum in Vajikra Rabba scribitur, quod Lightfootus ita exponit, in diebus Messiæ ex Judæorum mente neque meritum Parentum in bonum, neque culpam in malum imputatum iri. Quibus positis verba Discipulorum hac paraphrasi explicat: *Magister, novimus te esse Messiam, & dies hosce esse dies Messiæ, & didicimus ex scholis nostris non esse imputationem meriti vel culpæ patrum vel parentum in diebus Messiæ. Unde ergo hic natus est cæcus, ut hisce diebus gestet notam imputationis alicujus culpæ, an parentum? hoc excluditur per commune adagium. Videtur ergo quod reatum gestet propriæ culpæ. Anne hoc ita?* Altera Judæorum hypothesis, ex qua verba Discipulo-

pulorũ explicari posse notat, est opinio de peccatis infantum in utero adhuc constitutorum. Dicit enim autumasse Judæos, quod infans in utero matris jam animatus & vivens irregulariter se gerere, & aliquid facere possit, quod culpa haud vacet. Producit eam in rem varia ex Judæorum scriptis testimonia, tandemque concludit, huc etiam verba Discipulorum spectasse quærentium: *num hic peccavit, ut cæcus nasceretur? hoc est, num ille, dum eum in utero gestaret mater, fœdum aliquid aut enorme perpetravit, ut cæcitatem ejus rei pœnam secum tulerit in mundum?*

§. XXXVIII.

Barradius *k*) existimat, quicquid in Discipulorum quæstione absurdi occurrit, eorum negligentiæ tribuendum esse, cum non attenderint, quid ex ipsorum interrogatione sequeretur. Lyserus in exegeticis suis disputationibus, quibus Johannem illustravit *l*), dicit, quæstionem hanc institutam fuisse a Discipulis partim scientibus, quandoque homines vel propter propria, vel propter aliena parentum peccata castigari, partim ab ignorantibus, non omnes calamitates ob peccata infligi, quam ignorantiam Apostolos cum aliis Judæis communem habuisse notat, hoc ex ipsorum Mischnajoth præceptum adducens: *qui viderit mancum, cæcum, lato capite, claudum, erysipelate affectum, albuginosum, dicat: benedictus sit Judex justitiæ.* Quæ vero de Discipulis partim scientibus partim ignorantibus dicit, eadem apud Toletum quoque in c. 9. ad Johannem commentariis leguntur.

k) Tom. III. conc. evang. p. 80. *l*) in c. 9. th. 8.

§. XXXIX.

Et omnino hoc alte Discipulorum mentibus insedit, quod ejusmodi corporis defectus ab enormi aliquo peccato ortum ducant, quam sententiam Scripturæ sacræ conformem censuerunt. Noverant enim DEUM Israelitis promisisse, quod plagas Ægyptiorum illis haud impositurus esset, dummodo voci ejus obedirent, contra vero legis suæ transgressoribus varia morborum genera & alias calamitates comminatum fuisse. Confirmati sunt in hac sententia, cum recordati sunt, Christum paralytico dixisse: *confide, fili, remissa tibi sunt peccata tua* Matth. IX, 5. & alteri: *noli amplius peccare* Joh. V, 14. Ideoque simul ac cæcum hunc viderunt, de peccato ejus quæsiverunt. Non solum autem non ignorarunt, non semper insignes calamitates magni alicujus peccati pœnas esse, sed alius quoque error accedebat, dum opinabantur, cæcum hunc, antequam na-

ſceretur, gravi aliqua culpa præ aliis hominibus ut in hanc miſeriam conjiceretur, mereri potuiſſe. Unde mirum haud eſt, quod interrogaverint: num cæcus hic peccaſſet? Hunc errorem Diſcipulis tribuere malumus, quam cum Crellio dicere, quod priorem ſuæ quæſtionis partem dicis tantum cauſa protulerint, aut cum Barradio, quod ad abſurdam quæſtionis ſuæ conſequentiam non attenderint, aut cum aliis, quod quæſtio Diſcipulorum negationi æquipolleat, ut ſi quis infantes Bethlehemiticos magna ſtrage trucidatos vidiſſet & exclamaſſet: quid illi peccarunt? quod perinde eſſet, ac ſi infantes illos innocuos & nullo crimine talem lanienam meritos dixiſſet. Notum eſt Apoſtolos aliis quoque erroribus obnoxios fuiſſe. Quippini ergo & hunc errorem de peccato cæci ante nativitatem poſſibili fovere potuerunt? Hæc explicatio ſimpliciſſima & verbis Diſcipulorum pariter ac reſponſo Chriſti convenientiſſima videtur.

§. XL.

Neque tamen huic ſententiæ Diſcipuli ita inhærebant, ut non parati eſſent in parentes cæci, ſi Chriſtus annueret, omnem culpam conjicere. *Putabant enim utrumque fieri poſſe*, quæ Cocceji *m*) verba ſunt, *& ut ipſe probus ferret aliquam miſeriam ob peccatum parentum, & ut ipſe malo ingenio præditus etiam corporalem miſeriam ferret.* Hinc quærebant: *quis peccavit, hic an parentes ejus?* quaſi dicerent: num hic homo jam in utero tam impius & perverſus fuit, ut juſto Dei judicio, antequam naſceretur, viſu privatus fuerit? an parentes ejus peccatis ſuis hanc ipſi calamitatem attraxerunt? Quem Lucas Oſiander in ſua paraphraſi ſequitur. *Dubium enim ipſis erat*, ait Seb. Schmidius in reſolutione & paraphraſi evangelii Johannei *n*), *ſi cæcus peccaſſet, quomodo ante nativitatem peccaſſet? ſin parentes peccaſſent, cur non hi potius excæcati?* Alterum igitur ſpeciale quæſtionis membrum ad cæci parentes ſpectat, quos Apoſtoli non minus quam ipſum cæcum & forte adhuc magis de cauſa calamitatis hujus ſuſpectos habuerunt.

m) Tom. IV. Oper. p. 168. *n*) pag. 105.

§. XLI.

Et multi quidem inter Patres hanc etiam quæſtionis partem abſurdam exiſtimant, cum Judæorum error fuerit, filios ob delicta Patrum caſtigari, ab Ezechiele c. XVIII, 1. ſeq. refutatus, contra quem etiam legem Moſaicam adducunt, qua cautum erat, ne filius pro parente moreretur Deut. XXIV, 16. Ac ne quis objiciat, quod Deus minatus eſt, ſe peccata

pa-

patrum in filiis ad tertiam usque & quartam generationem vindicaturum esse Exod. XX, 5; respondent, illam sententiam non esse generalem, neque contra omnes dictam, sed solum contra eos, qui ex Ægypto egressi erant. Præterea in illa comminatione per peccata Patrum pœnas Patrum intelligunt, etiam in filios eorum, qui ex Ægypto egressi fuerant, venturas, si post tot signa & miracula pejores evaderent. Ita Chrysostomus & Euthymius ad hunc locum disserunt, quibus consentiens Severus in catena Patrum ad Johannem *o*), Judæos divinam comminationem perperam intellexisse arguit. Ammonius quoque in eadem catena hanc Discipulorum quæstionem explicans ait: *ἐσφαλμένη ἐστὶν ἡ ἐρώτησις αὕτη οὔτε ἁμαρτάνει τις πρὸ τοῦ γεννηθῆναι, ὁ μηδὲ ὅλως ὤν, οὔτε ἄλλος ὑπὲρ ἄλλου τιμωρεῖται, erronea est interrogatio, cum nemo peccet antequam natus sit, cum tunc omnino non existat, neque alius pro alio puniatur.* Theophylactus etiam ad aliam objectionem depromptam a morte puerorum, quæ in pœnam parentum sæpius contingit, respondet, quod DEUS propter misericordiam illorum vitam præripiat, ne cum supervixerint parentibus deteriores evadant.

o) pag. 284.

XLII.

Imprimis vero prolixus hic est Cyrillus Alexandrinus in suis ad Johannem commentariis. Ac primum quidem fontem erroris hujus, quem putat, judaici ostensurus refert quæ Exodi c. 32. 33. & 34. memorantur, donec ad illa verba pervenit: *Dominus DEUS misericors & miserator, longanimis, multæ misericordiæ, verax & justitiam servans & misericordiam in millia, auferens iniquitatem & injustitiam & peccata. Et ~~reum~~ non purificabit, inducens iniquitatem patrum super filios, & super filios filiorum in tertiam & quartam progeniem.* Verba hæc, quæ Exod. c. 34. v. 6. & 7. leguntur, non Mosis sed ipsius Dei esse animadvertit, cum ipse Moses Num. XIV, 17. 18. id testatus fuerit. His autem verbis abusos dicit, qui existimant patrum delicta in filios trajici, & iram divinam usque adeo extendi, ut ad tertiam & quartam usque generationem pertingat, de insontibus pœnas alienorum criminum exposcens. Cum autem ne humanæ quidem leges pœnas transgressorum filiis infligant, nisi eorundem criminum consortes deprehendantur, multo minus Deo talem injustitiam imputandam judicat. Hanc sententiam de pœnis liberorum ob peccata a parentibus commissa ab illis Dei verbis plane alienam esse censet, cum in iis immensa Dei misericordia, bonitas & patientia celebre-

 tur.

tur. Præterea si Deus injuriarum memor ac tenax asseratur, eos omni spe excidere dicit, qui peccatorum remissionem ab eo flagitant. Quod autem dicitur: *& mundatione non mundabit reum*, cum puncto interrogationis legendum arbitratur: *numquid non mutatione mundabit noxium?* hoc est: omnino purgabit, quippe longanimis, & misericors, & iniquitates auferens. Denique quod de Patrum iniquitatibus in filios & nepotes ad tertiam & quartam usque generationem deducendis dicitur, itidem de Dei patientia explicandum esse censet, quasi Deus significare voluerit, se pœnas parentum eo usque dilaturum esse. *Fuit verbi gratia contemptor legum & ad audendum projectus*, sunt Cyrilli verba ex versione Johannis Auberti, *adeoque statim plectendus; toleravit tamen hunc patienter Deus, iram debitam nequaquam inferens. Deinde fuit isti filius impietate & scelere patri æmulus, eumq; nequitia superans, sustinuit quoque iram super hoc Deus. Sed enim ex ipso natus est tertius, & ex tertio quartus, nequaquam majoribus nequitia minor, sed parem cum illis impietatem exercens. Deinceps effundit DEUS desuper iram pridem toti generi & ab initio debitam, satis & vel plus quam oportebat præstolatus.* Quam sententiam postea Cyrillus Achabi exemplo illustrat.

§. XLIII.

Sed rectius Theodorus Heracleota in catena Patrum τινὲς, inquit, διὰ προγονικῆς ἁμαρτίας ἐπλήγησαν, καθάπερ καὶ διὰ τοῦ Προφήτου εἴρηται· μάτην ἐπάταξα τὰ τέκνα ὑμῶν, *nonnulli propter majorum delicta puniti fuerunt, quemadmodum dictum est per Prophetam: frustra percussi filios vestros.* Quod dictum ex Jerem. II, 30. depromptum est. Sed longe plura eaque clariora dicta eam in rem allegari possunt, quæ etiam multis exemplis in Scriptura S. confirmantur. Nec Gentilibus ignotum hoc fuit. Etsi enim Bion Numinis vindictam in liberis æque ridiculam statueret, ac si medicus ob patris vel avi valetudinem filio vel nepoti remedium adhiberet, alii tamen cum Euripide

τὰ τῶν τεκόντων σφάλματ' εἰς τοὺς ἐκγόνους τρέπεσθαι

agnoverunt, qua de re plura apud Plutarchum in libro de sera Numinis vindicta videri possunt. Absit vero ut Deum injustitiæ eo nomine arguamus. Salva enim Dei justitia liberos parentum peccata luere Theologi nostri passim ostendunt, e quorum numero nunc adduxisse sufficiat Feuerbornium, qui in fasciculo secundo dissertationum theologicarum p) hanc quæstionem, an Deus posteris & liberis ob majorum & parentum flagitia

pœnas

pœnas infligat, prolixe pertractavit, ubi partim inter liberos pios & impios, partim inter pœnam stricte & late sic dictam, partim denique inter pœnas temporales & æternas distinguendum esse notat.

p) disp. 5.

§. XLIV.

Verba Ezechielis a Patribus adducta hoc tantum probant, quod nulli liberi ob impiorum parentum peccata æternis suppliciis addicantur, & ne temporales quidem pœnæ proprie sic dictæ piis improborum parentum liberis infligantur. Hoc autem non obstat, quo minus ob parentum peccata temporalibus calamitatibus involvantur, quæ etsi respectu impiorum parentum has calamitates in liberis videntium pœnæ loco habendæ sint, piis tamen liberis in bonum cedunt. Verba autem Ezechielis cum verbis, quæ Exod. XX, 5. leguntur, optime conciliari possunt, si dicamus, in illa appendice primi præcepti ad universum decalogum spectante de ejusmodi liberis agi, qui paternam impietatem imitantur. Qua ratione non opus erit, ut locum illum ad Israelitas Ægypto egressos restringamus, quæ Patrum explicatio a generalibus Dei verbis aliena est. Neque lex illa divina, qua cavebatur, ne filiis ob delicta patrum capitale supplicium irrogaretur, Deum impedit, quo minus impiorum parentum liberos sive pios castigare, sive impios punire queat. Nec probanda sunt quæ ad locum Exod. XXXIV, 6. 7. Cyrillus Alexandrinus commentatur. Nihil enim absurdi est dicere, quod ira DEI ad tertiam usque & quartam generationem pertingat, si ætas parentum pejor avis ferat filios nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorem. Et ne his quidem finibus ira Dei ita coerceri potest, ut ad ulteriores generationes progredi non possit. Tertiæ enim & quartæ generationis mentio tantum facta est, partim quia eo usque parentes malis posterorum superstites esse solent, partim quia Deus haud raro impiorum stirpem in tertia vel quarta generatione funditus delevit.

§. XLV.

Quod humanæ leges liberos parentum peccatis non implicitos ab omni pœna liberos relinquant, haud simpliciter verum est. Apud ipsos Israelitas, etsi insontes filii ad capitale supplicium ob paterna delicta rapi non possent, vel saltem ex lege divina non deberent, quicquid impii quidam Reges neglecta illa lege fecerint, sæpe tamen aliis rationibus ob uvas a parentibus comestas dentes sibi obstupescere sentiebant: quemadmodum liberos ob æs alienum parentum culpa contractum a creditoribus exactos

legi-

legimus. Quid aliarum gentium leges circa pœnas liberorum ob parentum delicta decreverint, apud Petrum Fabrum in semestribus q) & alios videri poterit. Nos enim illis recensendis jam non immorabimur. Ad alia potius Cyrilli argumenta progredimur, notantes, haud bonam esse hanc ejus consequentiam: Dominus ante Mosis faciem transiens Domini clementiam, misericordiam & patientiam commendat, ergo in sequentibus verbis de ejus justitia agi non potest. Cujus illationis infirmitatem omnia illa Scripturæ dicta produnt, quæ cum Dei clementia & misericordia ejus justitiam conjungunt. Neque tamen hoc magnopere urgemus. Esto totum illud dictum de Dei clementia & misericordia agere, quod nobis admodum probabile videri haud diffitemur. Cum enim Deus murmurantem populum internecioni devoveret, Moses Num. XIV, 18. pro populo suo intercedens totum illud dictum repetebat, & Deo quasi in memoriam revocabat, quibus verbis immensam suam clementiam & misericordiam celebrasset. Convenientius autem omnino huic intercessioni videtur, immensas divinæ misericordiæ & in parcendo bonitatis divitias verbis ex ipso Domini ore depromptis deprædicare, quam Deum justitiæ illius commonefieri, qua neminem insontem aut impunem esse sinit. Ideoque hoc non multum improbamus, quod Cyrillus verba Dei *καὶ καθαρισμῷ οὐ καθαριεῖ τὸν ἔνοχον* cum signo interrogationis legit, & hac interrogatione ulterius confirmari statuit, quod jam in verbis proxime præcedentibus de ablatione iniquitatum seu peccatorum remissione dictum fuerat. Quanquam verba illa commodius sine interrogatione de Dei clementia exponi possunt, si cum Ludovico a Dieu r) verbum נקה in evacuandi & totaliter succidendi significatione accipiamus, quasi Dominus dixerit: ונקה לא ינקה *& evacuando non evacuabit*, hoc est, tanta est ejus misericordia, ut etiam quando succenset & punit, non prorsus succidat. Quantum autem ad visitationem paternarum iniquitatum, quæ in filios & nepotes ventura dicitur, attinet, Cyrillus quidem eam, ut vidimus, de dilatione pœnæ in tertiam & quartam generationem explicat, quæ sententia etiam Theodoreto s) haud displicuit. Verum verba Domini hanc explicationem non admittunt. Aliud enim est visitare patrum delicta in filiis & filiorum filiis ad tertiam & quartam generationem, aliud patribus & filiis patienter magnaque longanimitate toleratis iram in tertiam & quartam generationem effundere. Et historia Israelitarum ob peccata sua in deserto per varia plagarum genera pro-

strato-

ſtratorum teſtatur, Deum pœnas parentibus debitas non ad tertiam & quartam usque generationem diſtuliſſe. Quamobrem ſi hic etiam verba ad Dei clementiam referre velimus, magis congruum erit dicere, quod iræ divinæ moderationem indicent, qua Deus, qui peccantes funditus abolere poterat, peccata patrum in filiis & nepotibus tantum ad tertiam aut quartam generationem usque viſitat. Denique ſi Cyrillo concederemus, in hoc Exodi loco non de pœnis liberorum ob delicta parentum, ſed de dilatione pœnæ in tertiam & quartam generationem agi, quid quæſo ad alia Scripturæ loca reſpondere poſſet, quæ liberos parentum peccata luere teſtantur. Patet ergo Apoſtolos ſine abſurditate opinari potuiſſe, quod liberorum calamitates nonnunquam eorum parentibus debeantur. Nec dubitarunt, niſi ipſe cæcus calamitatis ſuæ cauſa eſſet, quin ejus parentibus hujus mali origo tribuenda foret. Hinc ergo quærunt: ἔτος ἢ γονεῖς ἀυτȣ̃

q) libr. 3. c. 8. r) animadverſ. ad V. T. p. 81. s) quæſt. 40. in Exod.

§. XLVI.

Et Hugo quidem Grotius obſervat voce γονεῖς utrumque parentem comprehendi, & reſpectum haberi ad legem Levit. XX, 18. cujus transgreſſionem inter gravia peccata Ezechiel c. XVIII, v. 6. numerat. Confirmat hanc ſententiam ex eo, quod Hebræi tradant, ex tali concubitu imperfectos partus naſci. Quæ Grotii ſententia etiam Hammondo in ſuis ad hunc locum annotationibus placuit. Verum in genere de parentum peccatis Apoſtoli quærunt, nec opus eſt, ut eorum verba ad ſolum illud peccatum reſtringamus. Et ob alia quoque parentum peccata liberos naſci mancos, tortos, aliqua ſui parte mutilos, aliisque corporis vitiis deformes, doctrina erat in ſcholis judaicis non rara, qua terrebant parentes, ne negligentiores eſſent circa ritus, qui munditiem reſpiciebant, ut judaicarum rerum callentiſſimus Lightfootus annotavit. Quærunt ergo Apoſtoli, num ſi forte cæcus ipſe non peccaverit, culpa hujus cæcitatis in ejus parentibus hæreat?

§. XLVII.

Reſpondit JESUS: neq; hic peccavit, neq; parentes illius, ſed ut manifeſta fierent Dei opera in illo. Et de hoc Chriſti reſponſo, tanquam altera exercitationis noſtræ parte, nunc etiam paucis agendum erit. Qui reſponſum dedit, idem ille eſt, quem ab Apoſtolis Magiſtri titulo compel-

latum & interrogatum vidimus. Ipsum autem responsum, ut Isidorus Pelusiota in Epistola sæpius laudata illud describit, non obliquum aut sinuosum, vel ænigmatum involucris plenum est, sed rectum & quavis perspicuitate dilucidius & splendidius. Quæsiverant Apostoli, num cæcus an ejus parentes peccassent? Respondet Christus, neque cæcum, neque ejus parentes peccasse. Sed aliam hic movet quæstionem Augustinus *t*), *quid est quod dixit? Si enim nullus homo sine peccato, numquid parentes hujus cæci sine peccato erant? numquid ipse vel sine originali peccato natus erat? vel vivendo nihil addiderat? An, quia oculos clausos habebat, concupiscentiæ minime vigilabant? Quanta mala committunt cæci? A quo malo abstinet mens mala etiam clausis oculis &c.* Etsi autem ipse Augustinus ad dubium hoc recte responderit, Chrysostomum tamen audiemus. Sic ergo ille: τοῦτο δὲ οὐχ ἁμαρτημάτων ἀπαλλάττων αὐτοὺς φησιν· οὐ γὰρ ἁπλῶς εἶπε· οὔτε οὗτος ἥμαρτεν οὔτε οἱ γονεῖς αὐτοῦ, ἀλλ' ἐπήγαγεν· ἵνα τυφλὸς γεννηθῇ, hoc est: *Christus hoc non dixit, absolvens eos a peccatis. Non enim simpliciter dixit: neq; hic peccavit, neq; parentes ejus, sed addidit: ut cæcus nasceretur.* Etsi vero in nostris codicibus verba illa: ἵνα τυφλὸς γεννηθῇ Christi responso addita non legantur, quemadmodum in Chrysostomi exemplari addita fuerunt, subintelligenda tamen omnino sunt, & ex quæstione Discipulorum supplenda. Quemadmodum enim alias in Scriptura haud raro negationes non simpliciter negant, sed ex mente vel loquentium vel eorum ad quos oratio dirigitur limitandæ sunt, quales negationes sunt cum Christus ait: *Pater non judicat quenquam* Joh. V, 22. *verbum quod auditis non est meum* Joh. XIV, 25. *Lazari morbus non est ad mortem* Joh. XI, 14. quæ propositiones si absolute & sine omni restrictione intelligerentur, a veritate alienæ essent: pari ratione verba Christi dicentis: neque hic peccavit, neque parentes ejus, ita intelligenda sunt, ut interrogationi Discipulorum respondeant. Quæstio autem Apostolorum erat, num singulare aliquod peccatum vel a cæco vel ab ejus parentibus commissum eoque effectum fuerit, ut homo hic cæcus nasceretur? Respondet igitur Christus, neque hunc neque parentes ejus peccasse, non quod ab omni peccato immunes fuerint, sed quod peccando præ aliis hominibus hanc calamitatem non meruerint.

t) tract. 44. in Johann.

§. XLVIII.

Ex quibus apparet quam inepta sit Socinianorum quorundam de peccato originali cavillatio. Slichtingius enim hæc Christi verba explicans *u*) *peccatum*, inquit, *ut apparet, originale Christo non erat notum.* Quæ consequentia si valeret, dici etiam posset, actualia peccata Christo nota non fuisse. Atqui agnoscit Slichtingius de tali peccato Christum loqui, quo factum sit, ut homo ille cæcus nasceretur. Tale autem peccatum in cæco & ejus parentibus esse Christus negat. Idem Wolzogenio respondemus, qui *x*) miratur, cum Christus dicit, neque cæcum neque ejus parentes peccasse, non venisse ei in mentem originale quod vocant peccatum, quod a Christianis esse creditur causa mortis & morborum præcipue in infantibus. Quam de peccato originali sententiam si Christus veram credidisset, ipsum hoc modo minime responsurum fuisse judicat. Sed desinet mirari, si ad ea attendat, quæ in præcedentibus verbis posuit. Notavit enim non simpliciter Apostolos interrogasse utrum cæcus an parentes ejus peccaverint, sed an peccarint, ut cæcus nasceretur, & verba illa, *ut cæcus nasceretur* in responso Christi ἀπὸ κοινοῦ repetenda esse, & sic Christum negare cæcitatis causam fuisse ullum peccatum vel cæci vel parentum ejus, nequaquam autem negare, quod cæcus & parentes ejus sæpius peccaverint. Quæ cum ita sint, dici etiam non potest, quod Christus his verbis peccatum originale negaverit, quia non de generali morborum aliarumque calamitatum causa, sed de speciali ac propria agebatur. Quod autem Wolzogenius addit, Christum hic simpliciter & diserte negasse, ullum peccatum ac proinde & originale esse causam illius cæcitatis, sive generalem sive propriam, gratis dicitur, unde etiam perperam urget, ut ratio detur, si datur peccatum tale originis, quod sit causa morborum omnium inter homines, cur Christus absolute negaverit, cæcitatis causam esse peccatum vel cæci vel parentum ejus? Absolute enim id Christum negasse pernegamus, cum neget tantum Christus cæcum hunc insigni aliquo peccato, ut cæcus nasceretur, meruisse, & parentes cæci gravi aliquo crimine filio suo causam hujus calamitatis extitisse.

u) in Evang. Joh. p. 75.
x) comment. in Johann. p. 884.

§. XLIX.

Neque tamen cæcus de injustitia Dei conqueri poterat, quasi hac calamitate affligi non deberet, qui nec ipse peccasset, nec impios parentes habuisset. Recte enim in suo ad Josuam commentario Masius *y*) notavit, neminem jure conqueri posse, judicia Dei nunquam non esse æquissima, ideoque modesto & submisso animo ab omnibus mortalibus suspici, neque ad multiplici errore ac caligine perplexas ratiocinationes exigi debere. Quantum ad cæcum attinet, observat, Christum, cum ait, neque cæcum, neque ejus parentes peccasse, nequaquam vel cæcum vel ejus parentes omnis peccati expertes facere, sed intempestivam Apostolorum curiositatem, qua de aliorum hominum peccatis inquirebant, ad id, quod divina virtute in cæco agere volebat, convertere voluisse. Præterea neminem jure queri posse animadvertit, si non perfectissimi hominis partes atque naturæ instrumenta omnia nascens acceperit, siquidem quantulumcunque id est quod accepit, gratuitum plane hoc esse fateri debet. Quin etiam cæcitatem, præsertim si ab ipso ortu insit homini, non tam pœnam dici debere judicat, quam ad multa vitia declinanda utile umbraculum, quo animi acies tanto magis ad Deum intenditur. Unde & Homerus solum Tiresiam apud inferos sapere, cæteras autem animas umbrarum more vagari finxerit. Pari ratione Gomarus *z*) ad objectionem, quod Deus injuste agere videatur, si sine meriti peccati ratione afflictiones hominibus immittat, respondet, nullum querelæ de injustitia Dei locum esse, cum Deus neminem affligat, quin peccatis amplius supplicium sit promeritus, nec injuste Deus agat, si dona sua non omnibus communicet, aut data auferat, quippe potestati ipsius subjecta, nec hominibus debita, & præterea ejusmodi calamitates sæpe hominibus plus commodi quam incommodi afferant, sicut huic cæco plus commodi accessit quam defuit, quia DEUS eum hoc bono affecit, ut illustrandæ gloriæ divinæ occasio fieret, & hac via ad salutarem animi visum seu fidem in Christum converteretur. Similia apud Waltherum in harmonia Scripturæ *a*) & Pelargum in quæstionibus ad Johannem *b*) occurrunt, qui postquam quatuor argumentis demonstraverant, justitiam Dei hac cæci calamitate non labefactari, tandem subjiciunt, nobis potius cavendum esse, ne injurii simus vel in Deum, si in causas judiciorum ejus temeraria curiositate inquiramus, vel in proximum,

mum, si contra caritatis officium de ejus calamitatibus earumque caussis severius æquo judicium feramus. Ex Patribus Chrysostomum rursus audiamus. Quærit ille (*c*): ergo cæcus propter Dei gloriam injuriam accepit? sed respondet: ποίαν ἀδικίαν, εἰπέ μοι, εἰ γὰρ μηδὲ ὅλως παραγαγεῖν αὐτὸν ἐβούλετο; ἐγὼ δὲ καὶ εὐηργετῆσθαι αὐτόν φημι ἀπὸ τῆς πηρώσεως, τοὺς γὰρ ἔνδον ἀνέβλεψεν ὀφθαλμούς. Τί γὰρ ὄφελος τοῖς Ἰουδαίοις τῶν ὀμμάτων; μείζονα γὰρ κόλασιν ἔσχον πηρωθέντες ἐν τῷ βλέπειν. Τί δὲ τούτῳ βλάβος ἀπὸ τῆς πηρώσεως; διὰ γὰρ ταύτης ἀνέβλεψεν. *Quam injuriam, dic quæso, etiam si eum omnino non produxisset aut formasset? ego vero etiam ex cæcitate beneficium accepisse dico. Vidit enim interioribus oculis. Quid oculi Judæis contulerunt? Majus supplicių cum videndo cæci essent. Quid cæcitas huic obfuit, propter quam vidit?* Et hunc Chrysostomi locum, nisi fallor, imprimis exprimere voluit Clichthoveus, cum in supplemento Cyrilli Alexandrini ita differit: *sciscitari hic quispiam posset: numquid ille cæcus injusta passus est, quod cæcus natus fuerit sine culpa? minime profecto, quia potius beneficium accepit per hanc cæcitatem, nam & mirabilius visum recepit, quam si a principio nativitatis accepisset, & ea occasione interioribus etiam oculis est illuminatus, atque ad Christi fidem integre perductus. Quid enim profuit Judæis à vitæ exordio oculos corporis integros habuisse, cum animo prorsus cæcutirent? nonne majus est iste cæcus beneficium assecutus, qui ad tempus visu corporis captus postea interius & exterius est videndi facultate donatus?* Clichthovei hæc verba esse dicimus, etsi a Pelargo loco allegato Cyrillo tribuantur. Cum enim Oecolampadio latino Cyrillianorum in Johannem commentariorum interpreti ex duodecim libris quatuor intermedii quintus, sextus, septimus & octavus defuissent, qui nostro demum seculo quoad maximam partem e latebris eruti & Auberti versione donati in lucem prodierunt, Clichthoveus illam quatuor librorum lacunam ex aliis Patribus supplevit, quod non attendens Pelargus Cyrillo tribuit, quæ Jodoco Clichthoveo tribuenda erant.

y) ad Jos. VI, 21. *z*) part. I. Oper. p. 331. *a*) p. 486. *b*) ad c. 9. qu. 3. *c*) homil. 55. in Johan. seu juxta Savilian. edit. 56. T. 2. p. 785.

L.

Priorem responsi a Christo dati partem, qua falsam calamitatis in homine a nativitate cæco causam removet, hactenus vidimus, nunc & alte-

ram partem, quæ veram illius calamitatis causam ponit, videamus. Addit enim: *ἀλλ᾽ ἵνα φανερωθῇ τὰ ἔργα τȣ͂ Θεȣ͂ ἐν αὐτῷ*, *sed ut manifesta fierent opera Dei in illo.* Ubi post vocem *ἀλλὰ* verba quædam ad supplendum sensum subintelligenda sunt hoc modo: *neque hic peccavit neque parentes ejus*, ut cæcus nasceretur, sed cæcus natus est, *ut opera Dei in eo manifesta fierent*, vel etiam: *neque hic peccavit, neque parentes ejus*, ut cæcus nasceretur, *sed* Deus eum cæcum nasci eo consilio permisit, *ut opera Dei in eo manifesta fierent*, quales ellipses etiam occurrunt Joh. XIII, 18. XIV, 31. XV, 25. &c. Voculam autem *ἵνα* in hoc Christi responso non causam sed eventum notare Chrysostomus observat, quam significationem hujus particulæ non inusitatam esse, ex Rom. V, 20. & aliis Scripturæ locis probat. Chrysostomum, ut solet, sequitur Theophylactus. Hunc enim potius quam Leontium nescio quem Eutholium in suis commentariis excerpit. Idem placet Paulo Tarnovio, Joh. Maldonato, & plerisque recentioribus Interpretibus. Contra causaliter vocem *ἵνα* hoc loco accipiendam esse contendunt Estius in annotat. ad difficiliora Scripturæ loca, Beza & alii. Utraque significatio infra v. 39. in hac ipsa cæci historia occurrit, cum Christus se ad judicium in mundum hunc venisse dicit, ut cæci videant, & videntes cæci fiant, ubi particula hæc quoad prius membrum causaliter, quoad posterius eventualiter intelligenda est. Quæ autem significatio in nostro loco præferri debeat, operose non disputabimus. Putamus tamen neutram simpliciter rejiciendam esse. Causalis enim significatio locum obtinebit, si ad Dei permissionem & consilium respiciamus, qui ad nominis sui gloriam cæco hanc calamitatem immittere voluit, eventualis, si ipsum naturæ defectum spectemus, cujus eventus fuit operum Dei manifestatio.

LI.

Fuit ergo hæc cæcitas non *ἁμαρτημάτων ἀντίδοσις* seu peccatorum retributio, sed *ἑτοιμασία τῆς μελλȣ́σης οἰκονομίας* seu futuræ dispensationis præparatio, sive miraculi a Christo faciendi occasio, ut Asterius loquitur in homilia superius allegata, in qua eum *εὐσεβεῖν* Photius *d*) pronunciat, quia ex gloria miraculi, quod Christus in cæco exhibuit, divinitatem ejus contra Arianos demonstravit. Et ad hoc ipsum miraculum a se patrandum Christus digitum intendit, cum cæcitatem huic

huic homini obtigisse dicit, ut opera Dei in illo manifesta fierent. Patuit enim ex hoc Christi miraculo, qualia & quanta sint Dei opera. Et Theodorus quidem Mopsvestenus *e*), cujus verba in catena græco-latina Patrum ad Johannem adducuntur, ita Dei opera in cæco manifestata fuisse dicit, ut Christo oculos hujus hominis formante, & ad hanc oculorum formationem pulverem terræ sputo subactum adhibente clare eluxerit, Christum esse verum Deum, qui primum hominem ex pulvere & universum ex nihilo creavit. Verum probari non posse, quod hic cæcus *ἀνόμματος* fuerit, nec oculos prius habuerit, quam Christus eos ex sputo & pulvere formaret, jam supra notavimus. Interim abunde opera Dei in cæco manifestata sunt, cum Christi divina virtute visum, quo ab utero caruerat, accepit. Dei autem opera Christus nominat, quæ in sequenti versu Patris seu ejus, a quo missus fuerat, opera appellat. Unde Slichtingius colligit, Christum non sua propria, sed Patris virtute miracula edidisse, quasi vero divina illa virtus, quæ in Patre est, non esset etiam Christo propria, qui se cum Patre unum esse prædicavit Joh. X, 30.

d) cod. 271. pag 820. *e*) pag. 248

§. LII.

Quemadmodum ergo Lazari morbus non ad mortem erat, sed ad gloriam Dei, & ut Filius Dei ejus resuscitatione glorificaretur Joh. XI, 4. ita etiam cæcitas hujus hominis manifestandis Dei operibus occasionem præbuit. Nam, ut pulchre Isidorus Pelusiota in epistola ad Isidorum Diaconum aliquoties memorata loquitur, *συνεχωρήθη σκάσαι ἡ φύσις, ἵνα ἀνακηρυχθῇ ὁ τεχνίτης claudicare permissa est natura, ut artificis gloria celebretur*. Huc ergo Christus animos Apostolorum intentos esse voluit, cum aliena peccata scrutarentur. Quemadmodum enim Christus Apostolos de tempore, quo regnum Israelitarum reparaturus esset, interrogantes, a quæstione captum eorum supergressa ad magis necessaria divertit, dum illis promissionem Spiritus S. paulo post super eos venturi in memoriam revocavit Act. I, 6. 7. 8. ita etiam hac vice Discipulos, cum in peccata cæci & parentum ejus temere inquirerent, a curiosa hac quæstione abstractos ad contemplationem divinorum operum præparavit. Qua Cyrilli observatione explicationi sacri nostri textus colophonem imponimus.

§. LIII.

§. LIII.

Varios ejus abusus in ipsa exegesi jam notavimus, ad quos præter ineptas quorundam allegorias etiam referri potest, quod Hobbesius in Leviath. cap. 31. pag. 168. ex responso Christi colligit, mala quibus pii affliguntur, non peccato, sed potentiæ divinæ, cui resisti non possit, tribui debere, quasi vero Christus cæcum hunc hominem ab omni plane peccato immunem fuisse pronunciaverit. Superest, ut meliorem ejus usum paucis ostendamus. Imprimis autem ex hoc Christi responso ad quæstionem Discipulorum de causa calamitatis in homine a nativitate cæco discimus, varias esse causas, ob quas hominibus calamitates divinitus immittuntur. Discipuli in ea opinione versabantur, quod magnæ calamitates non nisi ob enormia peccata vel propria vel parentum hominibus infligerentur. Unde cæcum videntes interrogabant: hicne peccavit, an parentes ejus? Verum Christus respondet, neque cæcum neque ejus parentes peccasse, sed naturam defecisse, ut Dei opera in illo manifesta fierent. Nequaquam ergo existimare debemus, neminem magna aliqua afflictione premi, quin vel propria delicta luere, vel pœnas parentibus debitas pendere cogatur. Sunt enim & aliæ causæ, quarum gratia nonnulli homines, etsi nec ipsi nec ipsorum parentes gravius quam alii peccaverint, graviora tamen, quam alii, mala patiuntur.

§. LIV.

Multos homines cæcos Scriptura, historia ecclesiastica & profana, nec non quotidiana experientia nobis sistit. Sed causæ hujus calamitatis, si communem & generalem excipiamus, non sunt apud omnes eædem, etsi omnes idem malum experiantur. Elymas Magus, cum Paulo & Barnabæ evangelium prædicantibus resisteret, & Sergium Proconsulem a fide avertere niteretur, confestim excæcatus est, & cadentibus in eum tenebris palpans & circumerrans ductorem, qui ei manum daret, quærere coactus est, ut dignas scelere suo pœnas lueret, & ab eorum qui credituri erant, perturbatione cessaret Act. XIII. 11. Idem Paulus, qui hanc cæcitatem Elymæ divinitus indixit, sub initium conversionis suæ id cum Elyma commune habuit, ut cæcitate percussus χειραγωγούντων indigeret, qui Damascum ipsum ducerent, ubi per triduum cæcitate laboravit Actor. IX. v. 9. Hæc autem cæcitas Paulo evenit, ut, qui Christianos captivos abducere gavisus fuerat, jam ipse quasi captivus pristini peccati memor tanto ardentius ad Deum converteretur. Tobiæ quoq; cum Elyma commune erat, quod in tenebris sedebat, & solis lumen vide-

videre non poterat, unde magna ipsi tristitia nascebatur. Sed cæcitas quæ Elymæ τιμωρία, Paulo παιδεία fuit, Tobiæ δοκιμασία erat, ut fides ejus & patientia aliæque virtutes hac afflictione in aliorum exemplum exercerentur Tob. II, 11. 12. sequ. Nonnunquam etiam Deus excæcatione hominum usus est, ut suis auxilio esset, eosque contra hostium suorum & persecutorum injurias defenderet, quemadmodum milites Syros tali ἀορασία plexos legimus, ut Elisam prope astantem & colloquentem non agnoscerent 2. Reg. VI, 18. 19. Maris Chalcedonis Episcopus, cum senex suffusione oculorum laboraret, & manu pueri deductus Julianum Imperatorem adiisset, Juliano cæcitatem salse exprobranti respondebat: ἀλλ' ἐγὼ χάριν ἔχω τῷ θεῷ μου τῆς τυφλώσεως, ἵνα μή σε θεάσωμαι τῆς εὐσεβείας ἐκπεπτωκότα, *gratias ago Deo meo, quod luminibus orbatus sum, ne te videam qui a pietate excidisti* f). Cujus aliorumque exemplo patet, nonnullos hoc cæcitatis beneficio frui, ut a malis sive videndis sive faciendis præserventur. Multa eorum, qui ab hominibus excæcati sunt, exempla colligit doctissimus ICtus Petrus Faber in suis semestribus g), sed non est una omnium ratio, qui ibi memorantur. Zedekias enim excæcatus justas perfidiæ suæ pœnas tulit, ut alios, qui ob stupra aliaque crimina excæcati referuntur, taceamus. At christianis, quos ob fidem a Tyrannis vel excæcatos, vel aliis membris mutilatos memorat, eadem calamitas paterna castigatio & virtutis probatio extitit. Legitur inter epistolas Hieronymi ea quæ ad Castrutium cæcum scripta est h). In ea Castrutium obsecrat, ne cæcitatem suam de peccato sibi obvenisse existimet, cum multi sancti oculorum caligine laboraverint, contra vero multorum impiorum tabernaculis hoc flagellum non appropinquaverit. Qua occasione etiam responsum Christi ad discipulos adducit, *obsecro*, inquit, *ne imbecillitatem corporis quam sustines de peccato tibi existimes evenisse, quod quidem & Apostoli suspicantes de eo, qui natus erat cæcus ex utero, interrogantesque Dominum Salvatorem: iste peccavit, an parentes ejus, ut cæcus nasceretur? audiunt: neq; hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.*

f) Sozom. l. 5. hist. eccl. c. 4. g) l. 3. c. 19. h) epist. 33.

LV.

Est ergo inter causas cæcitatis imprimis etiam referenda operum Dei manifestatio. Quæ certe in omnibus illis cæcis facta est, quibus Christus

ſtus divina virtute viſum reddidit, & ſe verum Meſſiam demonſtravit, quem cæcorum oculos aperturum Propheta prædixerat Jeſ. XXXV, 5. Quin etiam in iis, qui cæci manent, haud raro opera divinæ bonitatis manifeſta fiunt, cum ille corporis defectus aliis corporis animique dotibus largiſſime compenſatur. Quanta rerum divinarum & humanarum ſcientia excelluerit Didymus etſi cæcus, ex Hieronymi aliorumque ſcriptis eluceſcit, & ex ipſius Didymi ſcriptis clarius conſtaret, niſi ex pluribus pauca ad noſtram ætatem perveniſſent. Michaelis Pickelii exemplum vel ideo ſilentio prætermittere nolumus, quod ab utero cæcus eo usque in S. Scripturæ cognitione perfecerit, ut A. C. 1602. Auguſtæ Vindelicorum in æde Wolfgangi hiſtoriam hominis a nativitate cæci a Johanne deſcriptam egregia concione explicaverit, qua de re Jacobus Thomaſius *i*) videatur, qui hujus Pickelii occaſione plura alia exempla ejusmodi cæcorum adducit, in quibus admiranda Dei bonitas & ſapientia ad miraculum usque ſe exeruit.

i) Hiſtoriſch. Spruchb. pag. 271.

LVI.

Quod de cæcitate dictum eſt, etiam de aliis malis variisque, quæ hominibus accidunt, calamitatibus dicendum eſt. Varias enim ob cauſas eas hominibus immitti conſtat, de quibus Melanchthon *k*), Brentius *l*) & a ii prolixe diſſerunt. Quorſum etiam ſpectat Chryſoſtomi homilia prima ad Antiochenos, in qua occaſione Timothei ſemper ægrotantis disquirit, cur Deus nonnunquam homines pios & eccleſiæ utiles morbis aliisque ærumnis affligat, & fieri hoc obſervat, ne donis ſuis extollantur, ne cæteri majorem de iis opinionem habeant, quam humana natura permittit, ut Dei virtus per ægrotantes magis appareat, ut eorum patientia manifeſta fiat, ut alii in gravibus malis, ſi ad eos reſpiciant, conſolatione afficiantur, ut alias rationes ab eo adductas, & ex Scriptura confirmatas taceamus. Atque huc etiam pertinent, quæ Apologia Auguſtanæ confeſſionis in articulo de confeſſione & ſatisfactione *m*) docet, ubi inter alia legitur: *ut afflictiones plerumque ſint pœnæ peccatorum, tamen in piis habent alium finem potiorem, ſcilicet ut exerceant eos, ut inter tentationes diſcant quærere auxilium Dei, agnoſcere diffidentiam cordium ſuorum &c.* & paulo poſt: *afflictiones non ſemper ſunt pœnæ aut ſigna iræ, imo pavidæ conſcientiæ docendæ ſunt, alios fines afflictionum potiores eſ-*

ſe,

ſe, ne ſentiant ſe a Deo rejici, ſi afflictionibus nihil niſi pœnam & iram Dei videant. Alii fines potiores ſunt conſiderandi &c. Cujus rei gratia etiam Chriſti reſponſum ad Diſcipulos allegatur his verbis: *& cum Diſcipuli interrogarent de cæco, quis peccaſſet, reſpondet Chriſtus, cauſam cæcitatis eſſe non peccatum, ſed ut opera DEI in eo manifeſtentur.*

k) Tom. III, Oper. pag. 733.

l) homil. 74. in Johann.

m) p. 193. & 195.

LVII.

Quæ cum ita ſint, magna eſt ingenii humani perverſitas, quæ, quoscunque Dei flagellum corripit, tanquam magnos peccatores condemnat. Quæ labes etiam ipſis Apoſtolis adhæſit. Etſi enim eos nihil attineret aliena peccata noſſe, ſtatim tamen viſo cæco quærebant: quis peccavit? hic an parentes ejus? Equidem Johannes Ferus in ſuis ad Johannis evangelium enarrationibus *n*) exiſtimat, nequaquam Diſcipulos præcipitaſſe ſententiam, nec temere judicaſſe, quod mundus ſolet, ſed Dominum interrogaſſe, quod pii faciunt, & primum quidem interrogationis membrum fuiſſe, an afflictiones ſemper ſint peccatorum ſupplicia? Verum hæc Apoſtolorum interrogatio non fuit. Perſuaſi enim, omnes inſignes calamitates eſſe peccatorum ſupplicia, incerti tantum hærebant, num peccata ipſius cæci an parentum ejus hanc calamitatem ipſi adduxiſſent. Eſt autem hoc vitium hominibus admodum vulgare, ut ſibi indulgentes in aliena crimina inquirant. Nullum Pauli flagitium Melitenſes noverant, quem tamen ex vinculis, naufragio, & inſiliente in ejus manum vipera Dei juſtiſſimi Vindicis pœnas effugere non poſſe ſuſpicabantur. Cujusmodi iniqua judicia etiam Jobum & alios expertos novimus.

n) pag. 224.

§. LVIII.

Cum autem ſæpe calamitates hominibus eveniant, ut Dei opera in illis manifeſta fiant, caveamus nobis ab ea judicandi temeritate nec muſcarum inſtar, quæ morbidis & exulceratis corporis partibus inſidere ſolent, aliena vulnera mordaci lingua arrodamus. Ne ſimus curioſi in alienis peccatis cognoſcendis, & deſidioſi in noſtris corrigendis. Potius ſi alios gravi calamitate afflictos videamus, in nosmet ipſos, quippe eadem vel graviora flagella meritos, qua par eſt animi humilitate deſcendamus, &

vera

vera pœnitentia ad Deum convertamur. Sin ipsi in calamitates incidamus, non desperemus. Jesus præteriens vidit cæcum. Is prætereunte nos mundo & miseriam nostram negligente oculis misericordiæ suæ in nos respiciet, nec sine auxilii sui gratia præteribit.

LIX.

Denique homo a nativitate cæcus spiritualis cæcitatis nos commonefacit, qua ab utero laboramus. Si causam hujus cæcitatis inquiramus, fatendum est, primos nostros parentes, & nos omnes in illis peccavisse. Sed Jesus videns nostram cæcitatem & misertus nostri, populo in tenebris & umbra mortis sedenti salutem attulit, tantaque gratia miseros collustravit, ut opera Dei in nobis manifestata nunquam satis deprædicare possimus. Dici non potest, in quanta miseria versentur, qui hanc Christi gratiam & salutis media negligunt, Pharisæorum exemplum imitantes, qui connatam cæcitatem adscititia aggravantes eo usque vesaniæ procedebant, ut cæcitatem suam agnoscere nolentes justissimo Dei judicio indies cæciores redderentur. Unde & Christus eos in templo relictos præteriens ad cæcum properavit. Venerat enim in mundum ad judicium ut videntes cæci & cæci videntes fierent v. 39. Caveamus ergo a spirituali hac cæcitate, ne, Christo gratiam a nobis neglectam subtrahente, subinde magis excæcati in æternas tandem tenebras ejiciamur. Tu autem, benignissime Jesu, aperi mentium nostrarum oculos, & inhærentes nobis tenebras indies magis magisque dissipa, donec Te in altera vita a facie ad faciem videamus, & opera Dei in nobis manifestata æternum celebremus.

Thesi VI. pro *septiduum* lege *sextiduum*.

